REGIMEN
SANITATIS SALERNI
SIVE
SCHOLAE SALERNITANAE
DE
CONSERVANDA BONA VALETVDINE PRAECEPTA.

EDIDIT

STVDII MEDICI SALERNITANI HISTORIA PRAEMISSA

JOANN. CHRIST. GOTTL. ACKERMANN,
MEDICINAE DOCTOR ET IN VNIVERSITATE LITERARVM ALTORFINA PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS.



STENDALIAE,
SVMTIBVS D. CH. FRANZEN EJVSQVE SOCII GROSSE.
MDCCXC.

VIRIS PERILLVSTRIBVS ATQVE
GENEROSISSIMIS

DOM. CHRISTOPH. WILHELMO
WALDSTROMERO

DE REICHELSDORF IN SCHWAIG

PERILL. REIP. NORIMB. SEPTEMVIRO
REIQVE SACRAE ET LITERAR. EPHORO

DOM. CHRIST. CAROLO SIGISM.
HOLZSCHVHERO

DE HARLACH ET VESTENBERGSGREVTH

PERILL. REIP. NORIMB. SEPTEMVIRO

DOM. CHRISTOPH. IOACHIMO
HALLERO

DE HALLERSTEIN IN KALCHREVT PRACKENFELS ET BVCKENHOF

SERENISS. DVCI BAVARIAE A CONSIL.
SANCTIORIBVS

DOM. SIGISMVNDO FRIDERICO
FÜRERO

DE HAIMENDORF

PERILL. REIP. NORIMBERGENSIS SENATORIBVS
CONSVLARIBVS
MAXIM. IN REM PVBL. MERITIS CVMVLATISS.
REI SACRAE AC LITERARIAE NEC NON
LITERAR. VNIVERSIT. ALTORFINAE CVRATORIBVS
BENIGNISSIMIS

PATRONIS SVIS SVMMO PIETATIS CVLTV AD CINERES VSQVE PROSEQVENDIS

REGIMEN SANITATIS SALERNI

CVM

PERPETVAE PROSPERITATIS

VOTO

CONSECRAT

IOANN. CHRIST. GOTTL. ACKERMANN.

DE STVDIO MEDICO SALERNITANO.

— — — — — *Salerni*
Urbs Phoebo ſacrata, Minervae ſedula nutrix,
Fons phyſicae, pugil eucraſiae, cultrix medicinae.
Aſſecla naturae, vitae paranympha, ſalutis
Pronuba, fida magis Lacheſis ſoror, Atropos hoſtis,
Morbi pernicies, gravis adverſaria mortis,
Quae jam perpetuum geſſit cum morte duellum.

Aegidivs Corboliensis.

Quae initia progreſſusque medicinale ſtudium in antiquiſſima civitate Salernitana habuerit, quis ſtatus illius quaeque fortuna fuerit ab antiquiſſimis temporibus, ſcire intereſt. Studii enim medici, quod in ea floruit, ſive ſpectes antiquitatem, ſive famae celebritatem, e ſcholis, quas ſequentia tempora habuere, (paria enim non habuere) vix invenies multas, quas Salernitanae poſſis aequiparare: ſi vero viros celeberrimos, qui aut medicinam in hac ſchola profeſſi ſunt, aut didicerunt, aut denique in Hippocratica antiquiſſima hac civitate exercuerunt, praeter

 ſum-

ſummos, quos habuit, viros, CONSTANTINVM AFRICANVM, qui Graecam Arabicamque medicinam, cum eaque Chaldaeorum, Aegyptiorum, Perſarum, Indorum ſcientias ſecum ex Oriente Salernum detulit, quo praeeunte Salernitanum in medicina ſtudium maxime floruit, NICOLAVM PRAEPOSITVM, JOANNEM PLATEARIVM, JOANNEM DE MEDIOLANO, ARNALDVM DE VILLANOVA, LANFRANCVM, alios multos habebis, ſumma, pro temporum, quibus vivebant, ingenio, doctrinae laude florentes, ad quos non aegri ſolum, malorum ſuorum levamina quaerentes, verum etiam medicinali ſcientiae ſtudentes ex longe maxima orbis culti parte confluxerint.

Non enim Germania tantum ſaeculis XIII et XIV medicos ſuos habuit, qui medicinalem ſuam ſcientiam penes Salernitanos in medicina magiſtros didicerant a): verae enim medicinalis ſcientiae iſtam partem,

a) „*Si in antiquis diplomatibus Germanis Saec. XIII et XIV magiſtri in chirurgia occurrunt, hi pro medicis habendi ſunt, aut Salerni, aut Bononiae hac dignitate ornatis*„ Verba haec ſunt *Möhſenii*, Vir. Jll. in praeclaro opere ; *Geſchichte der Wiſſenſchaften in der Mark Brandenburg, beſonders der Arzneywiſſenſchaft*, pag. 297, adferentis ſimul Bononienſes jam exeunte Saec. XII. magiſtrorum in phyſica titulum aliis impertiiſſe. Voluiſſem ſane vt haec per exempla probaſſet vir eximius, quae vero deſiderantur. Magiſtri enim titulum his temporibus ſcholae non dabant, neque habebant, niſi, qui docentium munere fungebantur: adſumſiſſe tamen in Germania chirurgos hunc titulum, vt peritiam in arte ſua teſtarentur, non inficior. Neque ſi aliis, iisque doctiſſimis viris, fides eſt, in Bononienſi ſchola medicinae ſcientiam longo ante annum MCCXIX tempore traditam eſſe credibile eſt. Hoc enim anno *Honorius* III, Pontifex Romanus, literis ad Bononienſem epiſcopum datis, eum monebat, *vt theo-*

tem, quam aut ob alias difficultates, aut linguarum, in quibus medici libri melioris notae conſcripti erant, Graecae et Arabicae ignorantiam, clerici monachique neglexerant, medici, qui Salerni artem didicerant, fere ſoli colebant: Gallia etiam medicos habuit, eosque celeberrimos, aut Salernitanos, aut qui ſtudii medicinalis cauſa Salernum ſe contulerant b), alias cultioris Europae terras eosdem habuiſſe infra patebit. Nec occidentem ſolum Salernitani ſtudii gloria medicorumque in eo docentium fama pervaſit, verum orientem etiam, erantque Salerni medicinae magiſtri, qui Hebraica lingua Judaeos et Arabica Saracenos docerent c). Cujus celeberrimae ſcholae hiſtoriam, quam

theologiae ſtudia in vrbe aleret, neque religioſos aut juri civili, aut phyſicae operam dare permitteret. Si vero etiam exeunte Saeculo XII magiſtri medicinam docentes Bononiae extiterunt, inde tamen non liquet, eos magiſterii dignitatem aliis impertiiſſe. Jurisprudentiam quidem Bononiae excultam fuiſſe ſaeculo XII, imo XI, non eſt quod dubitemus; de medicinali vero ſtudio in hac ſchola iisdem temporibus florente auctores ſilent. Neque forſan prius Bononienſis ſchola magiſtros in phyſica habuit, quam poſt annum MCCVIII, quo *Boncompagnus* Florentinus primus grammaticae atque humaniorum literarum magiſter conſtitutus eſt, cf. *Muratorii diſſ, ad antiq. medii aevi*, diſſ. 44. tom. III. p. 899. 900.

b) Sic, vt quaedam tantum exempla adducam, Aegidius, Corbolii natus, Galliae vrbe, indeque Corbolienſis dictus, medicinae non apud Monſpelienſes, qui ſuis jam temporibus ſcholam medicam habebant, verum apud Salernitanos ſtuduit. *Rogerius*, chirurgorum ſui temporis princeps, Salerni artem didicerat: poſtea munus cancellarii Monſpelienſis obtinuiſſe fertur. cf. *Haller bibl. chirurg.* tom. I. pag. 144.

c) *Ant. Mazza* vrb. Salern. hiſtor. cap. IX. pag. 63, E.

quam ante me jam dedere RENATVS MOREAV d), ZACHARIAS SYLVIVS e), ANTONIVS MAZZA f), JOANNES FREIND g), PETRVS GIANNONE h), et ex TIRABOSCHIO JAGEMANNVS, Vir Cl. i), vt accuratius perſequar, enarrabo primum, quae initia qualemque fortunam ante CONSTANTINVM AFRICANVM habuerit, quidque monaſterii montis Caſinenſis monachi ad eam medicae doctrinae laude florentiorem reddendam contulerint, quo labore vbi perfunctus fuero, quid CONSTANTINVS AFRICANVS ad famam illius augendam effecerit, quaeque poſt illius exceſſum fata habuerit docebo.

In ſinu Tyrrheni maris, ad Silaris fluminis oſtium Salernum, Picentinorum civitas, ſita eſt. Romanorum colonia vrbi primas origines dedit. CORN. enim SCIPIONE AFRICANO II, et T. SEMPRONIO LONGO con-

d) *Schola Salernitana c. animadv. Renati Moreau, Pariſ.* 1625. *Prolegom. cap.* 2. 3.

e) *Schola Salernitana, ſive de conſervanda valetudine praecepta metrica, ex recenſ. Zach. Sylvii, Hagae Comit.* 1683. 12. *in praef. cap.* X.

f) *Ant. Mazza vrbis Salernitanae hiſtoria et antiquitates.* Prima editio prodiit Neapoli 1681. in 4to. Uſus ſum editione, quae in *theſauro antiquitatum et hiſtoriarum Jtaliae a Jo. Georg. Graevio et Petro Burmanno edito Tomi IX. parte 4.* recuſſa legitur.

g) *hiſtoria medicinae*, in oper. edit. Pariſin. ann. 1735. in 4to. pag. 283.

h) Uſus ſum editione germanica, quae Ulmae prodiit, titulo: *Peters Giannone bürgerliche Geſchichte des Königreichs Neapel, mit Anmerkungen von O. C. von Lohenſchiold*, 1758. in 4to. Lib. X. cap. 11. §. 2. 3.

i) *Geſchichte der freyen Künſte und Wiſſenſchaften in Italien, Leipz.* 1779. III. *Band.* 1. *Th. pag.* 167 *et ſeq.*

consulibus, anno vrbis conditae DLX, colonia civium Romanorum Salernum deducta est k), quod Romani muniverant in Picentes et Lucanos, qui cum Annibale societatem iniverant. A tenui initio, LVI enim civium colonia fuisse fertur, sensim crevit, non magis loci opportunitate, quam soli foecunditate. Mari enim, versus orientem solem, adjacet, ad montis virentis radices, qui bonae diei mons appellatur, in quo Salernitani medici scholae suae praecepta diaetetica scripsisse dicuntur, vnde etiam scholae Salerni nomen monti datum est l).

Lethifera regione sedet, sub sole calente,
Rupibus astriferis celsum coeloque propinquum,
Audaci nimirum scandentibus aethera dorso:
Arcet et excludit gelidi spiramina venti,
Castigata situ: pendens de colle supino,
Incumbit pelago, sua quod muralia radit,
Exstantesque domos ludentibus assilit vndis m)

Saluberrimarum aquarum copiam habet et aerem bonum atque incolarum valetudini non inimicum. Teste tamen AEGIDIO CORBOLIENSI n)

k) *Liv.* Libr. XXXIV. *Vellej. Paterc.* L. I. *Strabo* L. V. *Appian.* L. I. de bello civil. Loca collegit. *Ant. Mazza*, in vrb. Saler. histor. cap. III. pag. 6, D. E. edit. citat.

l) *Mazza*, cap. II. pap. 4. D.

m) *Aegid. Corboliens.* de virtutibus et laudib. compositor. medicaminum Libr. III. v. 478. apud *Leyserum*, in historia poetarum medii aevi, pag. 593.

n) de laudib. compos. medicam. Lib. III. v. 485. in *Leyseri* hist. poet. med. aev. p. 594.

Montibus excelsis retro clypeata vapores
Et nebulas pingues et solum combibit austrum,
Foedaque corrupti carpit contagia coeli:
Sed medicinarum, sibi quas montana ministrant,
Urbs jaculis armata viget: cum morte potenter
Dimicat, exstirpat morbos et fata retundit:
Naturam relevat et stamina rupta renodat;
Morte regna premit, cum qua componere quamvis
Non valeat, petit inducias et protrahit aevum,
Et quae non aufert, ventura pericula, differt.
Quae nisi tam foecunda foret, tantisque vigeret
Consiliis —— absorpta voragine mortis,
Nec cursum bullire valens, miseranda periret.

Ager autem Salernitanus frugibus praestantioribus omnis generis et vinis melioris notae abundat. Indeque ANTONIVS SVMMONTE, historiae Neapolitanae scriptor eximius, non absque jure adseruit, *in universa Italia vix urbem esse, quae inhabitantibus majores delicias afferat; abundare vrbem et agrum omnibus ad victum pertinentibus, arboribus, frugibus, vinis, pomis, aedibus in hominum commoda artificiose structis, caet.* o).

Coloniam suam, donec evertebatur Romanum imperium, Romani tenuere. HONORII vero temporibus Visigothi vniversam Italiam quum occuparent, vrbis Salernitanae imperium ad illos simul devenit, postea, pace cum Gothis inita, ad HONORIVM, cum Italiae imperio, rediit p). Ostrogothi deinde Italia, cum

o) Locum dedit *Ren. Moreau*, in cap. 2. proleg. in schol. Salern. pag. 8.

p) *Giannone*, Tom. I. pag. 97. 98.

cum regionibus, in quibus Salernum ſitum eſt, potiti ſunt; poſtea vero a BELISARIO, JVSTINIANI temporibus expulſi q). Quo facto orientis Caeſares imperium Italiae tenuerunt ſupremamque poteſtatem, a JVSTINI II. temporibus, ſervata tamen Caeſarum ſumma auctoritate, Exarchis tradiderunt r). Italiam deinde occupantes Longobardi, terris, in quibus vrbs ſita eſt, ipſaque vrbe potiti ſunt. Communes ſane cum reliqua Italia calamitates vrbs Salernitana paſſa eſt: quae tamen fata poſt annum a Chriſto nato CCCCLXXVI, vſque ad octavum ſaeculum habuerit, penes ſcriptores, qui horum temporum hiſtoriam perſcripſere, proditum non eſt. Vix tamen licet dubitare, quin in his temporum ſummis calamitatibus vrbs, opibus plurimis, commercio, cum Graecis praeſertim, acquiſitis s), florens atque alimentorum omnis generis copia abundans, ſaepius expugnata et a diverſis gentibus, quae Italiam vaſtabant, capta, caedes rapinasque et Graecorum et barbarorum ſaepius paſſa fuerit. Octavo ſane ſaeculo Salerni ſortem admodum iniquam fuiſſe, vel ex HEREMPERTI chronico intelligi poterit, qui conditam eo tempore primum vrbem eſſe perhibet. ARECHISVS enim, Beneventi Dominus primusque e Longobardorum gente Salernitanorum princeps, qui anno DCCLXXXVII obiit, poſtquam annos XXIX, et quod excurrit, regnaverat t),

A 4 non

q) *Giannone*, Tom. I. p. 229.

r) *Giannone*, Tom. I. pag. 242.

s) *Muratorii* diſſ. ad. antiq. Italiae medii aevi diſſ. XLIII, tom. III. pag. 830. A. B.

t) *Ughellus* tom. VII. Ital. Sacr. de epiſcop. et archiepiſc. Salernit. *Herempert.* epit. chron. apud *Murator.* Script. rer. Italicar.

non ſolum cum Argivis bellum habuit eosque in fugam compulſos profligavit, verum etiam a PIPINO, CAROLI MAGNI filio, bello profligatus, ADELCHISAM atque GRIMOALDVM, liberos ſuos, victori obſidas dedit pacemque hoc modo obtinuit u).

Ut autem Salernum perpetuum principibus eſſet praeſidium ſuperventante exercitu Beneventum, vt chronici ſcriptor, HEREMPERTVS probe meminit, ARECHISVS, Francorum et Argivorum metu ductus, *Salernitanam vrbem munitiſſimam ac praeexcelſam in modum tutiſſimi caſtri, opere magnifico munivit et nova fabrica reparavit* x). Ex quo loco intelligitur ſaltim Salernitanam vrbem caſtrumque plurimum damni ab hoſtium incurſionibus temporibus ARECHISO ſuperioribus accepiſſe.

Reſtituta atque munita per ARECHISVM vrbs vix diu floruit. GRIMOALDVS enim, ARECHISI filius ſecundo genitus, a PIPINO, CAROLI MAGNI filio in carcere detentus, libertate deinde, anno DCCLXXXVIII donatus, et poſt patris obitum Salernitanus princeps factus hac conditione, vt ſingulis annis XXV mille aureos perſolveret Salernitanamque et Acheruntiam civitatem deſtrueret, vrbis muros ex parte deſolavit, mortuo vero CAROLO ampliore forma reſtauravit y).

Vix poſt haſce vexas requievit Salernitana civitas: mox enim Saraceni, impetu in inferiorem Italiam facto,

car. tom. V. pag. 16. C. *Mazza* libr. citat. cap. 5. pag. 11. B. C. D.

u) *Herempert.* epit. chron. apud *Murator.* loco mox citat.

x) *Herempert.* epit. chron. l. c. *Leo Oſtienſ.* Libr. I. cap. 9.

y) *Mazza* cap. V. pag. 11. B.

cto, terras Salernitanas occuparunt. Urbem ipsam an ceperint incertum est, regione Salernitana vero, terrisque omnibus principatui Salernitano subiectis potitos esse, certissimum z). Saeculo tamen IX GVAIFARIVS, principatum Salernitanum post annum DCCCLXVI tenens, coniunctus cum RADELCHIDE, Beneventanorum duce, BASILIO quoque Macedone in auxilium vocato, Saracenos, qui cum LXII millibus militum Salernum circumsederant, ab vrbe depulit a).

Saraceni autem, ab vrbe quidem depulsi, Salernitanas terras tenebant vrbique vicinas regiones, neque raro ab ipsa vrbe tributa exigebant. GVAIFARIVS adeo, Salernitanus princeps, languore correptus depositoque principatu ad Casinense monasterium deferri cupiens, voti sui compos fieri, ob crebras Saracenorum incursiones, non potuit. GVAIMARIVS filius, accepto a patre principatu, Saracenos e non paucis locis extrusit: GVAIMARIO vero SECVNDO, vivente adhuc genitore suo, regnante, Saraceni omnes, Orientis imperatoris et quinquaginta equitum Normannorum auxilio, e terris ad Salernitanum principatum pertinentibus pulsi sunt b).

GISVLPHVM SECVNDVM, vltimum ex Longobardorum gente principem Salernitanum, ROBERTVS GVISCARDVS e Normannorum genere, capta vrbe, expu-

A 5 lit.

z) *Giannone* pag. 485.

a) *Arn. Wion* Lign. vit. Libr. IV. cap. 35. *Mazza* cap. V. pag. 12. E.

b) *Mazza* cap. V. pag. 13. C.

lit c). Salernitanus principatus ad eum pervenit, qui simul Apuliae, Calabriae atque Siciliae principatum partim bellis feliciter gestis, partim haereditatis jure, a TANCREDO patre suo, acceperat. Tandem Normannis principatum tenentibus, ROGERIO Siciliae Comite atque Neapolitano rege imperante, anno MCXXX principatus Salerni ad Neapolitanos reges pervenit d).

Haec ad Salernitani principatus historiam pertinentia ideo praemittenda esse censui, vt partim intelligeretur non ex vna tantum gente principibus Salernum fuisse subditum, verum principes, per trium Saeculorum, et quod excurrit, spatium, e Longobardorum, deinde e Normannorum gente habuisse, supremo dominio aut penes orientis principes, aut penes occidentis imperatores, aut etiam penes Saracenos persistente, eosdemque adeo principes subinde nullum dominum agnovisse, summoque hinc jure MVRATORIVM, summum virum, dixisse: *Principes Beneventi ac Salerni modo nullum agnoscebant dominum supremum, modo imperatoribus occidentis parebant, aut Graecis sese in clientelam tradebant, eisve sese subdebant: imo et interdum ibi dominati sunt Graeci, dejectis principibus ipsis. Quum vero in occidente latinorum caesarum vires praevalebant, se eorum vasallos asserere non dubitabant, amplissima tamen auctoritate servata* e).

Tot

c) Vitae patrum Cavensium in *Muratorii* Script. rerum Ital. tom. VI. pag. 215. *Romwald. Salernitan.* chron. *Murat.* Script. rer. Ital. tom. VII. pag. 171. 172.

d) *Giannone*, Libr. XI. pag. 149. seq.

e) dissert. ad antiquitat. medii aevi V. Tom. I. pag. 192. A.

Tot barbararum gentium incursibus divexata atque occupata Italia literas florentes his temporibus habere non potuit. Clerici monachique parum docti, nec quicquam fere scientes, quam psallere et legere sacros canones sanctumque evangelium, medicinae exercitium sibi vindicabant, vt hoc etiam modo populo imperarent. Medicina vero eorum tota non in morborum, sed in medicinarum scientia constitit. Hinc laetos medicinam his temporibus progressus habuisse, a monachis fere solis cultam, sane vix credibile est: neque saeculo IX et X. vllus memoratur in occidente aut medicus, aut monachus, qui medicinam vel vllo invento vtili locupletaverit, aut scriptis medicinalibus libris vtilioribus illustraverit. Quum autem doctrinae horum temporum pars non exigua in scribendi arte consisteret, hoc saltim boni habuit clericorum in rebus medicinalibus studium, vt medicinales codices crebo in monasteriis describerentur eoque modo veterum medicorum monumenta ad posteros provenirent. Placuisse autem monachis, qui strictiorem vivendi regulam adversantes, institutis ordinum suorum difficulter obtemperabant, medicinae exercitium summopere, aegre vero id superiores tulisse vel inde patet, quod in conciliis saltim plurimis his temporibus habitis mandatum fuerit clericis, vt ab omni medicina facienda abstinerent f). Mandato vero non obtemperasse monachos inde liquet, quod omnia fere concilia his temporibus habita idem mandatum, indicta non raro poena sat gravi, repetierint. Ho-

f) *Möhsen*, Vir. Jll. Geschichte der Wissenschaften in der Mark Brandenburg, pag. 296. §. 26.

Honorivs adeo III, ab anno MCCXVII, vſque ad annum MCCXXVII, adeoque temporibus, in quibus ſcholae medicae jam florebant, Romanus pontifex, omnes excommunicavit clericos, quibus medicinalem artem exercere, eive ſtudere liberet g).

Antiquioribus vero temporibus, ac priusquam monachi aegris medicinam faciendo reliqua ſua officia negligerent, medicinae ſtudia in monaſteriis epiſcopi praeſulesque reliqui libenter tuliſſe monachosque ad diſcendam faciendamque medicinam, *lucri temporalis cauſa*, vt ex canone concilii Romani, ſub Innocentio II. habiti, apparet, incitaſſe videntur. Multorum ſane monachorum medii aevi memoria ad noſtram aetatem pervenit medicinae peritia clariſſimorum, Italorum praeſertim, quorum amplum catalogum Mvratorivs h) dedit. Sic etiam antiquum chronicon monaſterii Fabaritani refert Ratfredvm, abbatem monaſterii, Camponem monachum inſtituendum in medicina curaſſe, poſtea tam ingratum atque impium, vt abbatem, quo in locum ejus ſuccederet, veneno interficeret i). Sic Alphanvs, nobiliſſimus clericus Salernitanus, Desiderii, abbatis Caſinenſis tempore, qui anno MLXXXV pontifex Romanus factus eſt, „*qui miram cantandi peritiam et medicinae artis ſcientiam non parvam habebat, ejusdemque artis codices nonnullos ſecum a domo detulerat, magni aliquid ſe habendum in pontificis curia omni modo confidebat, confectisque atque aptatis,*

g) *Möſen*, l. c.

h) Tom. IV. ſcriptor. rer. Ital. pag. 309. in not. ad *Leon. Oſtienſ.* Chron. Caſinenſ.

i) *Mabillon*, annal. Benedict. Vol. III. L. 43. n. 74.

tis, quotquod potuit, medicaminibus ad Romanum pontificem professus est,, k). FVLBERTVS Carnutenſis epiſcopus, medicinam, quam didicerat, exercuit. OBIZO, monachus Sti Victoris, LVDOVICI CRASSI, RICHARDVS ex monaſterio Sti Dionyſii PHILIPPI AVGVSTI, Gallorum Regis medicus fuit l), vt BERTHARIVM, MOYSEN Antiochenum, aliosque ſilentio praetermittam m).

Antiquum erat, neque procul a Salernitana vrbe ſitum, nobiliſſimum poſtea atque terrarum opulentiarumque omnis generis abundantiſſimum in monte Caſino Benedictinorum monaſterium. Ipſe BENEDICTVS, monachorum per occidentem omnium pater, in Romano agro vitam cum vnico ſocio per triennium ſolitariam egerat: ſentiens autem, ſe non poſſe diutius ibi latere, ſanctitatis fama percrebreſcente, Caſinum in montem ſe tranſtulit, fratribus PLACIDO et MAVRO in ſocietatem adſcitis, ibique, in editiſſimo monte, in locum everſi Apollinis fani, anno DXXVIII monaſterium poſuit, ordinis ſui caput et quaſi emporium futurum n), in quo et ipſe ordinis ſui regulam conſcripſit. Nondum his temporibus GREGORIVS MAGNVS monachis, mandato dato, vt a veterum lectione abſtinerent, elegantiorum atque ſeveriorum literarum ſtu-

k) Chron. monaſter. Caſin. Lib. III. cap. 7. *Murat.* Script. rer. Ital. Tom. IV. pag. 417.

l) *Giannone* Tom. II. pag. 123.

m) Hos et alios citavit *Muratorius*, in tom. IV. ſcript. rer. Ital. pag. 309.

n) *Leo Oſtienſ.* Libr. I. cap. 1. *Paul Warnefrid.* de geſtis Longobard Lib. I. cap. 26. *Ant. Dadin. Alteſerra* orig. rei monaſt. cap. 9. *Saxii* onomaſt. literar. Part. II. p. 32.

ſtudia interdixerat o). Vigebat adhuc in virorum animis priſcorum librorum legendorum atque aemulandorum cupiditas, et licet temporum injuria atque calamitatum, quae vniverſum imperium Romanum Graecumque vehementer lacerabant, imitatores hi majorum exempla non adſequerentur, priſcorum tamen auctorum notitia quaedam, et doctrina, per ſaeculi injuriam deformis quidem, reſtitit. Eratque inſtitutum coenobii Caſinenſis, ab ipſo Benedicto, auctore ſuo, ſine dubio profectum, quo monachi, ad regulam auctoris ſui in hoc monaſterio vivere cupientes *jubebantur, vt literarum ſtudiis operam darent et in omnibus praeclaris diſciplinis, ad ſtatum monaſticum pertinentibus, ampliſſima mercede conductis ad hoc doctiſſimis et praeſtantiſſimis quibusque viris, ſuos omnes erudire et nobilitare ſtuderent: ſed neque idcirco concionarentur, neque publice legerent, neque diſputationibus incumberent* p). En ſcholarum in monaſteriis Benedictinorum, inprimis autem in Caſinenſi monaſterio antiquis jam temporibus exiſtentium, praeclara indicia! Neque in his ſcholis quae ad ordinis inſtituta tantum, ſcientiasque theologicas pertinent, verum *omnes praeclarae diſciplinae* docebantur. Theologicis adeo lectionibus ſaeculo XI. in hoc coenobio habitis quaeſtiones theologicae difficiles ſecundum Ariſtotelicae philoſophiae principia enodatae ſunt theologorumque doctrinae per Ariſtote-

o) *Walch* Geſchichte der Römiſchen Päpſte, Libr. II. cap. I. art. 3. §. 14. p. 133. *Giannone*, tom. I. pag. 489.

p) *Flav. Alexandr. Ugonii* de dignit. ac praeſtant. reipubl. Caſinenſ. Libr. in *Graevii* et *Burmanni* theſ. Tom. IX. part. I. pag. 327. A. B.

ftotelicae philofophiae principia demonftrari coeptae. Adeoque e Cafinenfi monafterio fcholafticae theologiae, quam per longiffima tempora monachi fere vnicam agitarunt, prima initia repetenda funt q).

Nec facile alia monafteria opportunitatibus ad literarum ftudia his gavifa funt, quibus in Cafinenfi literarum amor fervatus eft earumque difcendarum occafio fere perpetua manfit. Non longo quidem poft laetiffima initia tempore Zoto, e Longobardorum gente Beneventi dux, qui anno DXCI fato functus eft r), monafterium occupavit evertitque funditus, verum mox reftitutum fplendorem priftinum, imo majorem adfequutum eft. Gisvlfvs enim Secvndvs, Beneventi et Salerni princeps, qui anno DCCXXXII regnare coepit, monafterium Cafinenfe non folum pecunia plurima, verum etiam terris ditavit, ita vt his aliisque donationibus integrarum fere provinciarum opibus terrisque tantum valeret, vt abbates illius vafallos dominio fuo fubditos habentes plurimos proprios adeo exercitus alere propriaque vi hoftiles aliorum impetus repellere poffent s) Immunitates eisdem fere temporibus ac privilegia plurima a pontifice Romano Zacharia, qui fedi Apoftolicae ab anno DCCXLII ad annum vfque DCCLII praefuit, inprimis vero hoc obtinuit, vt liberatum ab epifcoporum dominio cum fubditis et vafallis fuis *nullius juri fubjaceret, nifi folius Romani pontificis* t), vtque fimul abbates illius fententiae fuae in conciliis primum ferendae jus haberent.

Ro-

q) *Giannone*, Tom. II. pag. 121.
r) *Giannone*, Tom. I. pag. 290.
s) *Giannone*, Tom. I. pag. 290.
t) *Leo Oftienf.* Lib. I. cap. 4. *Giannone* Tom. I. p. 405.

Romanae ſedi pontifices ſummos aliquot dedit coenobium Caſinenſe, cardinales aliosque ſuprema dignitate conſpicuos viros plurimos. Reges etiam habuit, qui depoſito imperio, monachorum in eo regulam vitamque ſequerentur. RACHISIVS, Longobardorum Rex, qui anno DCCXLIV regnare coeperat, depoſita anno DCCXLIX regia dignitate, Sancti BENEDICTI regulam in Caſinenſi monaſterio amplexus eſt u). CAROLOMANNVS, LVDOVICI GERMANICI filius, Italiae Rex, anno DCCCLXXX depoſita corona regia, monachus Caſinenſis factus eſt, vt alios clariſſimos viros, qui eandem in hoc coenobio vitam amplexi ſunt, ſilentio praetermittam.

Saeculis vero ſequentibus Saraceni monaſterio Caſinenſi opibus abundantiſſimo, non raro plurimas calamitates attulere. Habebant quidem, quod praeclare jam docuit ALPHONSVS AIROLDVS, Heracleae archiepiſcopus, praeſul digniſſimus, in prima parte *codicis diplomatici Siciliae ſub Arabum imperio*, quam ex Arabico converſam jam edidit x), et in altera parte ejusdem codicis edenda docebit vlterius, Saraceni praeclaras leges, tuendae chriſtianae religioni tuendisque illius doctoribus ſummopere opportunas, ſcilicet vt Siculo cuique liberum eſſet religionem ſuam habere; vt nemo ad religionem ſuam mutandam cogeretur; vt templa locaque ſacra chriſtianorum alia tuta eſſent neque

u) *Giannone*, Tom. I. pag. 330.

x) Excerptae hae leges leguntur ex Italico opere in *Wahlii*, Vir. Cl. libello: *Beytrag zur Geſchichte und Statiſtik der Araber und Saracenen in Sicilien, aus einem neu entdeckten Kodex, der ſich in dem Kloſter St. Martin in Sicilien befindet. Halle* 1790. 8.

que violarentur; vt moniales, sub capitis poena, a nemine laederentur; vt, qui monachum laederet, eadem poena afficeretur, ac si religiosum e Saracenorum gente laesisset; vt Saracenus, si templum christianorum violaret, eodem modo puniretur, quo christianus puniendus foret, si Saracenorum templa violasset, rel. Verum tamen Saraceni Siciliam per aliquot saecula tenentes maritimasque Italiae, inferioris oras crebro invadentes, Salerno etiam ab iis, vt supra dictum est, obsesso et pecunia plurima redempto, non solum vicinas monasterio Casinensi terras crebro tenebant, verum etiam anno DCCCLXXXIII ipsum coenobium occupabant eoque funditus everso BERTHARIVM abbatem, clarissimum atque doctissimum virum, vna cum monachis suis, aliquot tantum exceptis, qui Romanis cladem suorum nunciabant, trucidabant y). Mox vero, post toleratam atque superatam hanc incursionem monasterium restauratum est.

Scientiae quidem his temporibus in vniversa Europa parum colebantur, maxime tamen in Hispania, quam Saraceni occupaverunt, ARISTOTELIS philosophiam, HIPPOCRATISque et GALENI inprimis medicinam in eam secum deferentes, et aliquo saltim modo in Italia. Erant enim maritimis praesertim vrbibus Italiae commercia et mercaturae negotia cum Graecis non exigua, ipsi adeo Graeci per longum temporis intervallum Italiae partem plurimam tenebant, Arabesque, postquam circa annum DCCCXXXVIII Siciliam occu-

y) *Mabillon* annal. Benedict. Vol. III. cap. 36. 37. *Petr. Diac.* de viris illustr. Casin. cap. XII. in *Graevii* et *Burm.* thes. Tom. IX. p. I. pag. 353.

occupaverant, non ſolum mercaturam cum iisdem vrbibus plurimam habebant, verum etiam in iis non raro degebant, imo poſt bella feliciter geſta non raro terrarum plurimarum in Italia domini erant. Has gentes, penes quas ingenii cultus et doctrinae cupiditas remanſerat, quae ſcientiis a priſcis Graecis profectis ſtudebant, doctrinam ſuam ſecum in Italiam detuliſſe excitatoque aemulationis quodam ſtudio effeciſſe, vt literarum ſtudia his temporibus magis in Italia, quam in aliis Europae partibus colerentur, et vt philoſophiae, naturalium ſcientiarum et medicinae ſtudia diligentius et ſecundum veterum praecepta tractarentur, admodum credibile eſt.

Neque dubitare licet, quin ad Caſinenſis monaſterii monachos aliosque qui ſeveriora ſtudia amabant, Graecae et Arabicae doctrinae pars haud exigua defluxerit, monachique his temporibus medicinam habuerint, quam a Graecis et Arabibus acceperant. Ariſtotelicae philoſophiae ſtudium ſane non omne per Saracenas in Italiam delatum eſt. Medici libri Hippocratis et Galeni antiquioribus jam temporibus in Italia et legebantur et diſcentibus exponebantur: neque in Friderici Secvndi Imperatoris conſtitutionibus praeceptum eſt, vt Arabum libri medicinales, qui tamen ſuis temporibus ſumma laude florebant, verum Hippocratis et Galeni praecepta exponerentur z). Haec vero ſtudia in ſcholis praeſertim tractabantur. Scholas antiquiſſimas et legum celeberrima auditoria Roma,

z) P. *Canciani* barbarorum leges antiquae, tom. I. pag. 367. Conſtit. Neapolitan. ſive Sicular. *Friderici* II. Libr. III. tit. 34. 3.

ma, Berytus et THEODOSII junioris temporibus (ab anno CCCCXXV) Constantinopolis habebant: alias scientias, ad legum doctrinam pertinentes, in iisdem scholis esse traditas credibile est. Erant itaque jam his temporibus quaedam scholarum exempla, quorum imitatione aliae institutae sunt, neque forsan a veritate alienum est, Casinense monasterium scholam habuisse instituta iis similia habentem, quae scholae supra memoratae habuerunt. Otium sane penitus relegatum fuisse a Casinensibus monachis, eos studiis operam assiduam dedisse, scholamque in monasterio suo antiquitus habuisse, locus UGONII supra citatus probat: probant vero etiam viri tot doctissimi clarissimique, quorum catalogum PETRVS DIACONVS a) dedit, in quibus, praeter medicos, quos postea enarrabimus, PAVLVS WARNEFRIDVS, Aquilejensis Patriarchae diaconus b), ALBERICVS DIACONVS c), PANDVLPHVS Capuanus d), LEO Ostiensis e), BRVNO, Signiensis episcopus f), MARCVS versificator et St. Benedicti biographus g), ALBERICVS de Settefrati h) ORDERISIVS

a) de viris illustrib. Casinens. in thes. *Graev.* et *Burm.* t. IX. part. pag. 341.

b) *Petr. Diac.* de vir. illustr. Casin. cap. VIII. l. c. p. 346. *Voss.* de histor. lat. Libr. II. cap. 30.

c) *Petr. Diac.* cap. 21. pag. 365.

d) *Petr. Diac.* cap. 26. pag. 370. *Giannone* tom. II. p. 126.

e) *Petr. Diac.* cap. 30. pag. 373. *Voss.* Libr. II. de histor. lat. cap. 48. *Fabric.* bibl. lat. med. et infimae aetat. tom. IV. p. 770. *Saxii* onomast. Vol. II. pag. 208.

f) *Petr. Diac.* cap. 34. pag. 377.

g) *Leyser* histor. poetar. et poemat. med. aev. p. 184. *Fabric.* bibl. med. et inf. aet. lat. tom. V. pag. 71. 72.

h) *Giannone*, Tom. II. pag. 122.

sivs i), AMATVS et JOANNES, abbates Capuani k) eminent.

Medicinam permulti Casinensis monasterii monachi coluerunt et libris de rebus ad eam pertinentibus scriptis illustrarunt, pro more istorum saeculorum, quo animorum custodibus corporis quoque valetudinem custodire licebat.

BERTHARIVM, Sanctis adscriptum, abbatem Casinensem ab anno DCCCLVI l), ex Gallorum stirpe regia oriundum atque anno DCCCLXXXIII a Saracenis, cum monachis suis trucidatum, virum doctrinae multis generibus insignem, grammaticum, medicum, atque mirificorum in laudem St. Benedicti versuum confectorem fuisse auctores memorant m), et apprime literatum. Illius quoque extare duos codices medicinales, ejus industria de innumeris remediorum vtilitatibus hinc inde collectos LEO OSTIENSIS n) refert, easque medicinas ex optimis antiquis scriptoribus fuisse collectas TIRABOSCHIVS, referente JAGEMANNO, Vir. Clmo, putat o).

ALPHANVS Secundus, cum ALPHANO Primo, principis Salernitani, GVAIMARII affini, nobilissimo clerico, monacho Casinensi, deinde abbate monasterii St. Bene-

i) *Giannone*, Tom. II. pag. 122.

k) *Giannone*, Tom. II. pag. 122.

l) *Jo. Bapt. Mari* annot. ad *Petr. Diac.* cap. 12. de vir. illustr. Casin. pag. 353.

m) *Leo Ostiens.* chronic. Casin. Lib. I. cap. 33. in *Murator.* script. rer. Ital. Tom. IV. pag. 309. *Petr. Diac.* de vir. illustr. Casin. cap. 12. et *Jo. Bapt. Mari* annotat.

n) chron. Casin. Lib. I. cap. 33.

o) Geschichte der freyen Künste und Wissenschaften in Italien, Vol. III. part. I. pag. 44.

Benedicti Salerni, poſtremo archiepiſcopo ejusdem civitatis a STEPHANO X, anno MLVII conſecrato qui concilio Romano NICOLAI II auctoritate habito interfuit, non permutandus, ſcientia et ſanctitate conſpicuus tantopere, vt hominibus, teſte JOANNE BAPTISTA MARO p 1) pro miraculo eſſet, philoſophiae atque theologiae ſcientia inclaruit oratorque fuit et verſificator celeberrimae opinionis. Praeter plurimos libros, quos PETRVS DIACONVS p 2) et JOANNES BAPTISTA MARVS q) ab eo conſcriptos eſſe referunt, ſcripſit ad medicinalem artem pertinentes libros *de vnione corporis et animae*, nec non *de quatuor humoribus*, quos cum reliquis ſuis operibus in bibliotheca monaſterii Caſinenſis ſervari Jo. BAPT. MARVS r) teſtatur. Miram etiam habuit cantandi peritiam, praeter medicinae ſcientiam non parvam, LEONE OSTIENSI s) referente. Magni autem his temporibus peritiam ejus in rebus medicinalibus eſſe aeſtimatam ipſumque ſcientiam medicamentorum conficiendorum habuiſſe LEO OSTIENSIS his confirmat t): *Fama erat, pontificem Romanum in Salernitanam regionem venturum fore. Alphanus, quoniam miram cantandi peritiam et medicinae artis ſcientiam non parvam habebat, ejusdemque artis codices nonnullos a domo ſecum detulerat, magni aliquid ſe habendum in ſummi pontifi-*

B 3

p 1) annot. ad *Petr. Diac.* de vir. ill. Caſinenſ. cap. 12. pag. 353.

p 2) de viris illuſtrib. Caſinenſib. cap. 19. pag. 362.

q) annot. ad *Petr. Diac.* de viris ill. Caſin. cap. 19. p. 362.

r) annot. ad *Petr. Diac.* de v. ill. Caſin. cap. 19. p. 364.

s) Chronicon S. monaſter. Caſinenſ. Libr. III. cap. 7. in *Murator.* ſcript. rer. Ital. tom. IV. pag. 417. conf. *Mazza*, pag. 58. F.

t) Chron. monaſt. Caſin. L. III. c. 7. p. 417. A.

tificis curia omni modo confidebat. Confectis atque aptatis, quotquot potuit, medicaminibus, vna cum civitatis ipsius archiepiscopo ad Romanum Pontificem in Tusciam proficiscuntur eumque apud Florentiam remorantem reperiunt.

Desiderivs, Casinensis monasterii abbas, postea Victoris III nomine Romanorum summus pontifex (anno MLXXXV) Alphano II. arctiore amicitia coniunctus, Salernum ob aegritudinem perrexit u) ibique medicinae prima fundamenta hausit. Non musices solum, sive potius rhythmorum et faciendorum et cantandorum, (fecit autem plurimos) verum etiam medicinae peritissimus fuit x). Doctrinam generatim omnem coluit: libris multis vndique conquisitis eoque auctore a librariis descriptis bibliothecam monasterii sui, amplissimis aedificiis ab eo ornati, summopere auxit. Instituta novellasque Justiniani Imperatoris, his temporibus in Italia rarissima et paene vix vlli nota, vt adeo, si Giannonio y) fides est, post Desiderii hanc operam in solo Casinensi monasterio reperirentur, eiusque praesertim opera ad Normannos legum a Jvstiniano datarum notitia perveniret, describenda curavit et in monasterii sui bibliothecam reposuit.

Hi viri in Casinensi monasterio medicae peritiae fama florentes ante Constantini Africani tempora extiterunt, neque fere dubitare licet, quin medicinae sci-

u) *Leo Ostiens.* Chronic. Casin. Libr. III. cap. 7. *Murator.* script. rer. Ital. Tom. IV. pag. 416.

x) *Jo. Bapt. Marus* in annot. ad *Petr. Diac.* de vir. illustr. Casin. cap. 18. p. 362, A. in tom. IX. part. 1. thes. *Graev. Burmann.*

y) Libr. X. cap. 11. Tom. II. pag. 115.

ſcientia aut a Salernitana vrbe ad Caſinenſe monaſterium, aut ab eo in illam defluxerit. Plurimam autem gloriam monaſterio, in quo vltimam ſuam aetatem tranſigebat, conciliavit Constantinvs Africanvs, qui peragrata orientis culti parte plurima, Salernum, poſtea in Caſinenſe monaſterium ſe recepit, Scholam Salernitanam inſtauravit divulgataque illius et monaſterii ſui per vniverſum orbem gloria, novae epochae auctor extitit, qua florentior facta Salernitanorum medicorum ſchola vnica in occidente per notabile temporis intervallum evaſit, in qua et Graecorum veterum, et Arabum praecepta exponerentur.

Enarrato nunc medicinae in Caſinenſi monaſterio ad Constantini Africani vſque tempora ſtudio, origines atque antiquitates Salernitanae ſcholae ad eadem vſque tempora perducendae ſunt. Quo facto quid Constantinvs cum diſcipulis ſuis et aliis monaſterii Caſinenſis monachis ad ſcholam Salernitanam illuſtriorem reddendam praeſtiterit, quaeque fata poſt Constantini tempora habuerit, enarrabimus.

I Antiquiſſimum eſſe medicinae in Salernitana vrbe ſtudium, eamque temporibus, quibus in occidente medici, praeter monachos, nulli erant, medicos habuiſſe doctos, peritos in arte ſua atque celeberrimos, vt adeo peregrini non pauci corporis ſui curandi cauſa Salernum venirent, vrbem ipſam *Hippocraticae civitatis* celebre nomen antiquitus tenuiſſe, quod nomen adhuc in ſigillo Salernitani collegii expreſſum legitur, plurimi auctores ſtatuunt z) An vero ſchola medico-

z) *Mazza* cap. 9. *Jo. Freind.* hiſtor. medicinae pag. 283. in oper. edit. lat. Pariſ. 1735. in 4to.

rum ante CONSTANTINI AFRICANI tempora Salerni jam fuerit, quamque formam his temporibus habuerit, non certe conſtat, aliis ſcholam medicam Salernitanam a CAROLO Magno, anno DCCCII fundatam a), aliis ante illius tempora extitiſſe ſtatuentibus b), aliis vix ante CONSTANTINI AFRICANI tempora medicos Salerni fuiſſe ſcientiam ſuam docentes, ſcholamque ineunte Saeculo XI a ROGERIO Rege eſſe inſtitutam perhibentibus c), aliis denique putantibus, vix ante FRIDERICI SECVNDI, Romanorum Imperatoris tempora ſcholam medicinalem Salerni floruiſſe d).

Ad antiquiſſima autem ſtudii medici Salernitani tempora ſi recedimus, medicinalis ſchola a principe quodam inſtituta fundataque ibi ſane non floruit: privilegiis potius ornata eſſe videtur, a ROGERIO Siciliae Rege, deinde a FRIDERICO SECVNDO, poſtquam docti viri, tam medici, quam alii, per longum jam tempus in ſocietatem docendarum literarum, inprimis medicinalis ſcientiae, coaluerant. Quod itaque noſtris temporibus in ſcholarum publicarum fundatione locum habet, vt doctores conſtituto ſalario, variisque donati immunitatibus conſtituantur, Salerni locum non habuit: hinc etiam inſtitutum Salernitanum, quo medicina docebatur, ſcholae nomen ante CONSTANTINI AFRICANI tempora non habuiſſe videtur, gymnaſii vero et collegii medici nomen ſerius, et poſt fundatam de-

a) *Scip. Mazella* deſcritt. della Provinc. de Princip. citr. fol. 72.
b) *Mazza*, cap. 9. pag. 63, E.
c) *Conring* antiq. academ. diſſert. III. pag. 102. §. 22. edit. *Henmann. Fabricius* Grundriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrſamkeit 2 Bd. pag. 685.
d) *Hagelgans* orb. literar. academ. pag. 35.

demum ſtudiorum vniverſitatem Neapolitanam, accepit e). In Salernitanam vrbem, mari vicinam, opulentiſſimam, et cum orientis gentibus commercium habentem plurimum, plures ex Aſia Africaque pervenere, ibique morati ſunt. Saraceni per aliquot ſaecula Italiae partem et non raro terras Salernitanas tenentes, ipſam vrbem vicinaque loca vexabant, obſidebant, cogebantque Salernitanos, vt ſe terrasque ſuas pecunia redimerent, ejusque pecuniae exigendae cauſa Saraceni non raro in ipſa vrbe Salernitana morabantur ſedemque figebant. Graeci ante exarchatum has terras ſubinde tenebant, ſupremumque in illas, durante exarchatu, habebant dominium. Sane tali rerum ſtatu exiſtente non fieri potuit, quin cum gentibus his, penes quas ingenii cultus fere omnis erat, ejus particula Salernum deflueret, Salernitanique a Graecis Saracenisque philoſophiam medicinamque, acciperent.

Translatis hoc modo in Salernitanam vrbem vicinasque, Beneventum inprimis, quod opulentia atque cultu his temporibus ſummopere inclaruit, ſcientiasque, quantum per ſaeculum licebat, coluit, ita vt anonymo Salernitano auctore, tempore, quo Lvdovicvs Samnitibus praeerat, *XXXII philoſophos haberet* f) Graeco cultu doctrinaque Saracenorum, philoſophia et medicina mox Salerni floruit. Medicinae Salernitanae temporibus iſtis, quibus omnia ad miracula referri ſolebant, martyres virgines Archelais, Tecla ac Svsanna, quae in decima perſecutione chri-

 ſtia-

e) *Mazza* cap. IX. pag. 64.

f) *Giannone* tom. I. pag. 414.

ſtianorum Diocletianvm et Maximinianvm auctores habente, a Leontio proconſule circa annum CCXCIII morti datae erant, quarumque corpora Salerni in templo ſanctimonialium Sancti Georgii ordinis Sti Benedicti ſervantur, famam primum conciliaſſe videntur. Archelaidis corpus ſane, quod *omnes miraculis ſuis curare* dicebatur, teſtante epitaphio, a Fabricio Pinto confecto, quod ex Ant. Mazza mox dabimus, multos ad hanc vrbem adeundam valetudinis recuperandae cauſa incitaſſe videtur. Epigraphe haec eſt: *Archalais, Tecla et Suſanna, dum emortis manibus evadere putant, Romam deſerunt, inter Leontii vngues Chriſti oves prope Nolam ei occurrunt: vbi poſt ſaeva quamplurima tormenta, aureis redimitae ſertis ac Thyreis praecinctae palmatis togis, ſuis decoloratae cruoribus, in paradiſi capitolium martyres triumpharunt. Salernum tandem mirifice pergunt, vt in civitate Hippocratica Archalais, quae ſalus interpretatur, omnes ſuis curet miraculis et hic concluſo in horto benedicto candidis illibatisque liliis tam ſuaviter redolentibus purpureae comitarentur virgineae roſae* g).

Doceri medicinam ante Normannorum in Italia adventum temporibus, quibus Graeci et Saraceni Italiae hanc partem tenebant viſitabantve, in qua Salernum ſitum eſt, fuiſſe coeptam, primamque in occidente Salerni Scholam fuiſſe, in qua a magiſtris idoneis medicina doceretur, antiquum vrbis Salernitanae chronicon docet, quod Antonivs Mazza excerpſit, verum non deſcripſit. Cui ſi juſta fides eſt, *Salernitani ſtudii medici primaevi fundatores fuere Rabinus Elinus Ebrae-*

g) *Ant. Mazza*, cap. 6. pag. 32. 33.

Ebraeus, qui primum Salerni medicinam Ebraeis de litera Hebraica legit, Magister Pontus, Graecus de litera Graeca Graecis. Adala Saracenus Saracenis, de litera Saracenica. Magister Salernus latinis medicinam de litera latina legit. Jique medicinae magistri Salernum, loci amoenitate moti, advenerant h)

Si fides est huic chronico inquam et ANTONIO MAZZAE, qui patriam suam vrbem non raro nimiis extollit laudibus: omnes enim alii, qui de Salernitano studio scripserunt, praeter JOANNEM FREINDIVM, qui adeo saeculo VII haec accidisse, verum nullo testimonio adducto, refert i), haec non memorant, tale sane studii medicinalis institutum, quo medicina linguis his temporibus per orbem florentibus praecipuis docebatur, Salernitanae vrbi, in quam et Graeci, et Saraceni, et Judaei confluebant, non repugnaret. Fidem etiam narrationi hoc adderet, quod Judaei, qui medio aevo medicinam frequenter colebant et principum in Europa virorum valetudinem curabant k), studii medicinalis in patria sua lingua tractandi Salerni occasionem habuerint: aut monachos enim, aut Judaeos fuisse, qui medio aevo medicinam exercerent, Judaeosque praesertim magnam scientiae medicinalis famam sibi comparasse, praeter FREINDIVM, MOEHSENIVM, aliosque docuit XAVERIVS BETTINELLIVS l).

Si

h) *Mazza*, cap. 9. pag. 63 E.

i) histor. medicin. edit. cit. pag. 283.

k) *Jo. Freind.* histor. medic. pag. 285. 286.

l) Del risorgimento d'Italia negli studi nelle arti e ne' costumi. Part. I. pag. 71. 72.

Si vero etiam dubitandi de veritate narratorum ab incerto chronici Salernitani auctore justa causa est, plura tamen testimonia viri fide dignissimi protulere, quae Salerni medicos fuisse ante CONSTANTINVM AFRICANVM clarissimos probant nosque facile inducunt ad credendum medicinam his ipsis temporibus ab idoneis doctoribus Salerni esse traditam. Medicinae enim studium a Graecis et Saracenis Salernitanos et potuisse habere, et sine dubio habuisse, jam docuimus: aliam vero etiam, eamque optimam medicinalis studii occasionem habuerunt, nunc enarrandam.

Arctum fuisse inter Salernitanos et Casinensis montis monachos connubium, supra expositum est, idemque viri fide dignissimi HERMANNVS CONRINGIVS m) JO. FREINDIVS n) PETRVS GIANNONE o) ex TIRABOSCHIO JAGEMANNVS p), Vir Cl. aliique docent. Si vero a primis monasterii conditi temporibus monachi Casinenses medicinam et didicerunt, et exercuerunt, credibile sane est, medicinalem scientiam doctis viris et harum rerum cupidis vrbem inhabitantibus fuisse communicatam eoque modo ex ipso monasterio in vrbem Salernitanam fuisse propagatam, vt adeo honor excitatae cupiditatis medicinae discendae atque faciendae penes Salernitanos in vniversum quidem Graecis et Saracenis, inprimis vero Casinensibus monachis debeatur. Medicos sane in Salernitana vrbe jam ante CONSTANTINI AFRI-

m) antiq. academ. diss. III. §. 22. pag. 102.

n) histor medicinae pag. 283.

o) Geschichte von Neapel, Tom. II. pag. 120.

p) Geschichte der freyen Künste und Wissenschaften in Italien. Vol. III. part. I. pag. 167 seq.

AFRICANI tempora doctores ſuos Caſinenſes ſuperaſſe atque majorè gloria floruiſſe, ſcriptores non pauci teſtantur. ROMVALDVS SALERNITANVS, chronici auctor q) anno MLXXV Salernum a duce Roberto eſſe captum narrat ſimulque *vrbem medicinae artis vtique famoſam atque praecipuam* dicit. BENJAMINVS DE TVDELA, Judaeus, quem alii Saec. X r), alii vero, et jure quidem, ſaec. XII exeunte floruiſſe dicunt, *vnius ſe diei, ait, itinere Salernum eſſe devectum, vrbem medicorum ſcholis illuſtrem,* quas *optimum inter filios Edomi* (Chriſtianos) *medicinae ſeminarium* vocat. ALPHANVS etiam SECVNDVS valetudinis cauſa, vt ſupra jam memoratum eſt, Salernum ſeſe contulit. Salernum etiam confluebant ab exteris regionibus, aut valetudinis recuperandae, aut eruditionis acquirendae cauſa, praeclari et nobilitate praeſtantes viri. Sic HVGONE FLAVINIACENSI s) teſte, *huic,* Verdunenſi nempe epiſcopo, *ſucceſſit Adalbero, filius comitis Godefridi. Salernum eodem anno benedictionis ſuae curationis gratia profectus, reverſus in Italiam obiit. Vixit in epiſcopatu tribus annis et ſucceſſit Heimo ann. DCCCCLXXXVIII.* Ergo ante hunc annum medicos Salernitanos ſingularis fama ſcientiae commendabat ac juſte etiam ad hunc locum monente MVRATORIO t), ad gloriam medicinae comparandam minime expectavit Italia, vt principes Arabum ſcri-

q) Chronic. Tom. VII. pag. 171. 172. *Murat.* ſcript. rer. Ital. Loca alia e ſcriptoribus, quibus antiqua medicorum Salernitanorum fama probatur, collegit *Ant. Mazza*, p. 63. 64 ſeq.

r) *Mazza*, cap. IX. pag. 63.

s) Chron. Verdun. part. I. ad fin.

t) diſſ. ad antiq. medii aevi XLIV. Tom. III. p. 936.

ſcriptorum prodirent, ex quorum ſcriptis proficeret. ORDERICVS etiam VITALIS u) Salernitanis medicorum ſcholas ſummopere laudat, haec dicens: *Robertus Mala-Corona ab infantia literis affatim ſtuduit et Galliae Italiaeque ſcholas, ſecretarum indaginem rerum, inſigniter attigit. Nam vt in grammatica et dialectica, in aſtronomia quoque nobiliter eruditus eſt et muſica. Phyſicae quoque ſcientiam tam copioſe habuit, vt in vrbe Pſalernitana, vbi maximae medicorum ſcholae ab antiquo tempore habentur, neminem in medicinali arte, praeter quandam ſapientem matronam, ſibi parem inveniret.*

Liquet ſane ex hoc nobiliſſimo loco ORDERICI VITALIS, qui hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam ad annum vsque MCXLI perduxit, adeoque prima ſaeculi XI parte floruit, *ab antiquo inde tempore* ſcholas medicorum in Italia fuiſſe, easque ſaeculis aliquot ſupra ORDERICI tempora, adeoque ſaltim ſaeculo exeunte X floruiſſe x). Quando vero hae ſcholae inſtitutae fuerint, ſcire non licet: Neque de Salernitana ſchola quando fuerit inſtituta, ſive potius quando in ea doctores medici medicinam docere inceperint, manifeſtum eſt. Non tamen dubitare licet, quin integro jam ſaeculo X ſcholae extiterint medicinales; antiquum enim chronicon Fabaritanum, quod ſupra citavimus, expreſſe docet, Camponem abbatem monachum *inſtituendum in medicina curaſſe*, occaſionem itaque medicinae diſcendae extitiſſe certum eſt. Vult quidem TIRABOSCHIVS y) ſcholam

u) Libr. III. eccleſ. hiſtor. ad ann. 1059.

x) *Jagemann*, V. Cl. libro cit. Vol. III. part. I. pag. 167.

y) vid. *Jagemann*, V. Cl. Geſchichte der freyen Künſte und Wiſſenſchaften in Italien. Vol. III. part. I. pag. 84. 85.

lam medicam jam his temporibus extitisse Salerni, in qua monachus iste, episcopi sui jussu, scientiam suam hauserit; verum extra monasteria, saltim praeter illa extra palatia et cathedrales ecclesias his temporibus studia vix fuisse videntur. Fuere in Gallia saeculo X scholae permultae, tam inferiores, quam superiores, in quibus grammatica cum philosophiae partibus plurimis, nec non elegantiores artes exponebantur, plurimique viri docti hoc saeculo in Gallia florentes exeunte saeculo IX scientiam suam sibi comparaverant. REMIGIVS sane ANTISSIODORENSIS z), HVCBALDVS monachus monasterii S. Amandi a), STEPHANVS Tungrorum episcopus b), RATHERIVS Leodiensis, postea Veronensis episcopus c), GERBERTVS archiepiscopus Remensis, postea SYLVESTRI II nomine Romanorum supremus pontifex d), ABBO FLORIACENSIS e) et FVLBERTVS CARNOTENSIS f) non solum ipsi in permultis doctrinae generibus erant versatissimi, verum etiam eadem aliis tradiderunt suaque auctoritate effecerunt, vt in permultis monasteriis Galliae scientiae discentibus exponerentur g). Parisiensis adeo schola circa annum DCCCII con-

z) *Mabillon* act. Bened. Tom. VII. pag. 189. n. 11. Histoire literaire de la France par des religieux Benedictins de la Congregation de S. Maur. Tom. VI. pag. 99. *Saxii* onomast. Vol. II. pag. 130.

a) Histoire liter. de la France. Tom. VI. pag. 210.

b) Hist. lit. de la France Tom. VI. pag. 168.

c) Hist. lit. de la France. Tom. VI. p. 339.

d) Hist. lit. de la Fr. Tom. VI. pag. 23.

e) *Saxii* onomast. Tom. II. pag. 153.

f) *Saxii* onomast. Tom. II. pag. 153.

g) Has scholas praeclare enarrarunt in amplissimo opere: Galliae literaria historia tom. VI. pag. 22. §. 29. Benedictini.

consilio ALCVINI, vt ferunt, a CAROLO MAGNO condita, plures a fundatione sua viros doctissimos habuit in ea docentes. Scholas etiam iisdem temporibus Italia habuit celebres. Papiensem CAROLVM MAGNVM liberaliter dotavisse atque viris doctissimis ornavisse HENRICVS PANTALEO h) auctor est. Bononiense adeo gymnasium origines suas vsque ad THEODOSII II tempora deduxit, qui anno CCCCL vivere desiit. Ticinensem scholam CAROLVM MAGNVM instituisse, illiusque nepotem, LOTHARIVM in Italiae civitatibus pluribus similes scholas condidisse MVRATORIVS i) probat. Scholas philosophorum duas prope cathedralem Mediolanensem LANDVLPHVS Major k) enarrat, his verbis: *in atrio interiori philosophorum scholae diversarum artium peritiam habentium erant duae.* Dedisse se ipsum studiis operam in scholis Faventinis et Parmensibus PETRVS DAMIANVS l) saeculi XI scriptor, refert.

Haec quidem etsi non probant, scholas medicorum his temporibus in Italia extitisse, probant tamen, extitisse scholas, in quibus magistri docebant, diversarum artium peritiam habentes, neque conjecturae Salerni scholam medicinalem floruisse ante CONSTANTINI AFRICANI tempora m) repugnant. Quae an penes

Ca-

h) de vir. ill. German. P. II. *Murator.* diss. ad antiq. medii aevi XLIV. Tom. III. pag. 883.

i) in diss. citat. XLIV. Tom. III. pag. 884.

k) Chron. Lib. II. cap. 35. in *Murat.* script. rer. Ital. Tom. IV.

l) Lib. V. epist. 16. Lib. VI. epist. 17. 30. *Jagemann* Gesch. der freyen Künste u. Wissensch. Vol. III. part. I. p. 102. 103.

m) Idem asseruit, verum argumentis parum valentibus, *Pagus* in critica histor. chronolog. in Baronii annal. ann. 1087. n. 13. Tom. IV. pag. 299.

Casinensis monasterii monachos, an in ipsa vrbe floruerit, incertum quidem, Salernum vero longo ante CONSTANTINVM tempore peritos medicos et post CONSTANTINVM medicorum scholam habuisse certum est. Quidam per ipsum CAROLVM MAGNVM scholam Salernitanam fundatam esse adserunt, codicis praesertim manuscripti praeceptorum de conservanda bona valetudine scholae Salernitanae auctoritate ducti, qui in catalogo Cod. MS. Angliae et Hiberniae describitur et inscriptionem hanc habet: *Scholae Salernitanae versus inscripti Carolo Magno Francorum Regi.* In fine haec leguntur: *Explicit florarium versuum medicinalium, scriptum christianissimo Regi Francorum Carolo Magno a tota vniversitate doctorum medicinarum praeclarissimi studii Salernitani, tempore, quo idem Saracenos devicit in Rancivalle.*

Sed errores, qui in hac inscriptione occurrunt, a librario esse profectos, qui ex Angliae rege Francorum regem fecerat, facile intelligitur. Neque CAROLI MAGNI temporibus vniversitas studiorum erat, neque CAROLVS ad Rancivallum Saracenos devicerat, neque tandem ipse CAROLVS Salernitanam fundare scholam potuit, qui ARECHISO devicto mox in Galliam regressus est et Salerni dominus nunquam extitit. Hinc, etsi certum est favisse CAROLVM MAGNVM in vniversum bonis artibus diligenterque studuisse, vt gentes, quas subegerat, doctrinae quendam, pro saeculi more, cultum acquirerent, scholas adeo medicas in palatio aperüisse, quarum in capitularibus fit mentio n), falli tamen

n) *Tob. Köhler* primus artis medicae peritia celebris Winturus. Götting. 1752, pag. 15. *Haller* bibl. med. pract. Tom. I. pag. 424.

men doctiſſimos viros, SCIPIONEM MAZELLAM, JOANNEM FREINDIVM o) aliosque, ſcholam Salernitanam a CAROLO MAGNO eſſe fundatam putantes, facile perſpicitur p).

Medicinam vero ſi docuere Salernitani ante CONSTANTINVM AFRICANVM, eam ſecundum HIPPOCRATIS et GALENI praecepta docuerunt. Habebant Itali primis jam temporibus et notitiam Graecorum medicorum, et eorum libros in latinam linguam translatos. Sic MAGNVS AVRELIVS CASSIODORIVS circa annum Chriſti DLX monachis ſuis latinis in libro de inſtitutione divinarum literarum haec ſcripſit: *Legite Hippocratem atque Galenum latina lingua converſos, id eſt therapeutica Galeni ad philoſophum Glauconem deſtinata et anonymum quendam, qui ex diverſis auctoribus probatur eſſe collectus. Deinde Aurelii Caelii de medicina et Hippocratem de herbis et curis diverſosque alios medendi arte compoſitos, quos vobis in bibliothecae noſtrae finibus reconditos, Deo auxiliante, dereliqui.* GALENVM inprimis eſſe ſequutos Salernitanos medicos in docenda medicina, CHRISTOPHORVS de HONESTIS, Florentinus refert, qui circa annum Chriſti MCCCLXXX vixit. *Et non eſt longum tempus elapſum*, inquit, *quum in dicta civitate Salerni digna ac clamoſa fama per orbem vigebat fons ſcientiae et maxime practicae medicinae. Ibi enim florebat ſtudium principaliter, ſequendo ſententiam Galeni,* *tan-*

o) hiſt. med. pag. 283. Error *Freindii* ex confuſa Salernitana ſchola cum Pariſina natus eſt.

p) *Giannone*, Tom. I. pag. 429. *Jagemann*, Vol. III. part. I. pag. 168. 169.

tanquam principis medicorum, ejus libros legendo et utiliter declarando, licet hodie fugiantur. q)

¶ Auxit autem, post mediam saeculi XI partem elapsam, scholae Salernitanae famam summopere Constantinvs, Carthagine oriundus, indeque Africanvs dictus, qui itinere per orientem instituto, peragrataque plurima Asiae et Africae cultioris parte, scientias, quas gentes harum terrarum colebant, medicinam inprimis atque philosophiam, didicerat. Babylonem inprimis se contulit et in hac vrbe grammaticam, dialecticam, geometriam, arithmeticam, mathematicam, astronomiam, necromantiam, musicam, physicamque Chaldaeorum, Arabum, Persarum, Saracenorum, Aegyptiorum atque Indorum edoctus est. Indiam deinde adiit Aethiopiam atque Aegyptum, absolutoque post XXXIX annos studiorum suorum cursu, Carthaginem rediit. Carthaginenses vero, invidia doctrinae suae ductos, magicasque suas artes metuentes, vitae suae insidias struere quum experiretur, fuga periculum evasit, navique clam conscensa Salernum petiit.

Saracenos aliasque orientis gentes crebro Salernum venisse supra memoratum est. Urbis visendae forsan causa, quam Robertvs Gviscardvs, Normannus, principem in terris suis effecerat r), quamque floruisse ceu commercii inter orientem atque occidentem emporium,

q) in praef. ad commentar. in antidotar. Mes. Locum etiam dedit *Conring* in diss. III. antiq. acad. §. 22. pag. 105.

r) *Ant. Mazza* cap. V. pag. 14. B. C. prolixe memorat quid ad vrbem exornandam optimus hic vir effecerit.

rium, historici memorant s), Babylonis regis frater Salernum venit, qui CONSTANTINVM Babylone degentem jam noverat ROBERTOQVE virum summa doctrina valentem tantopere commendabat, vt summis honoribus ornaretur ipsique ROBERTO vti ex codice manuscripto Florentino patet, in quo CONSTANTINO hic titulus tribuitur t), a secretis esset. Medicinam apud Salernitanos studiose coluit tandemque in Casinense monasterium se recepit, monasticam vitam sub DESIDERIO abbate amplexus. Arabum in eo atque Graecorum libris medicis vertendis operam dedit tanta gloria, vt orientis atque occidentis doctor alterque Hippocrates appellaretur. Tandem anno MLXXXVII fato functus est u).

Librorum philosophicorum et medicorum a Saracenis conscriptorum versiones in latinam linguam instituendas CAROLVS MAGNVS jam curasse dicitur, libros-

s) *Giannone*, Tom. II. pag. 127.

t) *Bandini* catalog. codic. MS. graecor. bibl. Florent. Vol. III. pag. 142. *Jagemann* libr. cit. Vol. III. part. 1. pag. 170.

u) cf. de *Constantino Africano Petr. Diac.* de vir. illustrib. Casinens. cap. 23. et *Jo. Bapt. Mari* annot. in *Graevii* et *Burmanni* thes. Tom. IX. part. 1. pag. 369. *Leo Ostiens.* chron. S. monaster. Casinens. Lib. III. cap. 35. in *Murator.* script. rerum Ital. Tom. IV. pag. 455. ex quibus caeteri omnes sua de eo hauserunt. *Conring* diss. III. antiq. acad. §. 22. pag. 102. nec non de script. Saec. XI. cap. 4. pag. 114. *Fabric.* bibl. graec. Tom. XIII. pag. 123. vbi etiam libri ab eo conscripti omnes enarrantur. Ejusdem *Fabricii* biblioth. med. et inf. latin. tom. I. pag. 1192. *Muratorius* in diss. 44. ad antiq. medii aevi Tom. III. pag. 935. 936. *Brucker* Fragen aus der philosophischen Historie, Tom. V. pag. 856. *Jo. Freind.* hist. med. pag. 283. 284. *Haller* biblioth. botan. Tom. I. pag. 226. *Giannone*, tom. II. pag. 126. *Jagemann*, V. Cl. Vol. III. part. 1. pag. 172.

brosque temporibus inter CAROLVM atque CONSTANTINVM Arabicos in latinam linguam eſſe translatos certum eſt. Verum hae verſiones, temporum injuria, omnes interiere, et quae de CONSTANTINI verſionibus ſuperſunt, partim editis, partim in bibliothecis adhuc latentibus, primis adſcribendae ſunt, quae ad noſtra vſque tempora pervenerunt. Arabes vero non ſolum excerpſit atque in latinam linguam translatos in epitomen redegit, ſuis non raro interpoſitis, verum etiam Graecos atque Latinos, hoc inſtituto ſemper ſervato, vt ſuis immixtis veterum libros in compendium quaſi redigeret.

Quod propoſitum ſi CONSTANTINVS etiam in docenda medicina ſervavit, qualem docuerit medicinam aliquo modo intelligi poteſt, ſcilicet maxima ex parte eam, quam Saraceni ex Graecis hauſerunt, non tamen ipſis Graecis, HIPPOCRATE et GALENO, neque latinis penitus neglectis. Eum ſaltim medicos etiam latinos ſuo aevo ſuperiores in epitomen redegiſſe, exemplum libelli docet, SEXTO PLACITO adſcripti, quod ſuo nomine, mutatum in quibusdam locis, mutilatum in aliis, in aliis vero auctum, absque veri auctoris mentione x) edidit. Veſtigia hinc quaedam Graecae medicinae his etiam temporibus apud Salernitanos remanſiſſe Arabicam colentes medicinam a CONSTANTINO introductam, maxime, admodum credibile eſt.

Medicinae quidem imperium CONSTANTINVS non dilatavit, inventis ante ſua tempora quidquam addendo,

x) Edidimus illum cum *Sexto Placito* aliisque parabilium medicamentorum ſcriptoribus antiquis, Norimbergae 1788.

do, Arabicae vero medicinae per Italiam ſtudii auctor extitit. Libros Salerni ſcripſiſſe non videtur, verum, expreſſe hoc notante PETRO DIACONO, in Caſinenſi monaſterio, ſcholae vero medicae atque philoſophicae praefuiſſe videtur. Diſcipulos enim habuit, qui ſcriptis libris inclaruerunt, ATTONEM Agnetis imperatricis capellanum, *qui ea, quae Conſtantinus diverſis linguis transtulerat, cothurnato ſermone in Romanam linguam deſcripſit* y) et JOANNEM medicum, virum diſertiſſimum ac eruditiſſimum, *qui poſt Conſtantini, ſui magiſtri tranſitum aphorismum edidit, phyſicis ſatis neceſſarium. — Obiit apud Neapolim, vbi omnes libros Conſtantini, magiſtri ſui, reliquit* z)

Auctam eſſe per CONSTANTINVM ſcholae Salernitanae famam poſt ejusque tempora celeberrimos medicos habuiſſe, omnes auctores teſtantur a): quidam adeo per CONSTANTINVM eam eſſe fundatam eumque medicinam Salerni docere coepiſſe perhibent. Tamen ad JOANNIS DE MEDIOLANO, inſignis ſcholae Salernitanae verſificatoris tempora, qui exeunte ſaeculo XI et ineunte XII floruiſſe videtur, vix medicorum nomina apud ſcriptores occurrunt, qui Salerni medicinam aut fecerint, aut docuerint. GARIOPONTVM tamen, quem veterem Graecum fuiſſe perperam ſtatuit CASPAR BARTHIVS b), probante TH. REINESIO c) his temporibus, ſae-

y) *Petr. Diac.* de vir. ill. Caſinenſ. cap. 24. pag. 369.

z) *Petr. Diac.* de vir. ill. Caſinenſ. cap. 35. pag. 378.

a) *Conring*, *Brucker*, *Freind*, *Tiraboſchius*, *Jagemann*, *Möhſen* in libris jam faepius citatis.

b) VIII adverſ. 14. XXXV, 1. XLV, 4.

c) var. lect. lib. III. cap. 12. *Fabricius* Abriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelehrſamkeit. Vol. II. pag. 685.

ſaeculo ſcilicet XI floruiſſe certiſſimum eſt. CONSTANTINO AFRICANO coaevum HALLERVS dicit d). Nominat GARIOPONTVM, tanquam *notum ſibi virum honeſtiſſimum, adprime literis eruditum et medicum* PETRVS DAMIANVS e) cardinalis epiſcopus Oſtienſis, qui ab anno MXXX vſque ad annum MLXXII in magna eruditionis et ſanctitatis exiſtimatione fuit. Fuiſſe GARIOPONTVM, poſtquam Salernum profectus eſſet, collegii Salernitani membrum, TH. REINESIVS f) indubitanter quidem affirmat, verum non probat. Ex ecloga tamen Oxonio-Cantabrigienſi RENATVS MOREAV g) locum dedit, in quo GARIOPONTVS Salernitanus medicus expreſſe vocatur.

Iisdem temporibus SICHELGAITA vixit, quae, ORDERICO VITALI teſte a Salernitanis medicis venenorum eruditionem perceperat. *Medici Pſalerniae*, inquit ORDERICVS, *quorum fama per orbem admodum divulgata eſt, excellentia medicinalis peritiae. Inter hos enutrita fuerat Sichelgaita, Gaimarii, Ducis Salernitani e Longobardis, filia, ſoror Giſulfi II, quem Robertus Giſcardus ducatu exuit: ab his venenorum eruditionem perceperat. Cognito enim privignum ſuum Boamundum, Roberti ex Alberada, priore conjuge, filium, vulneratum a Graecis in praelio Salernum, vt curaretur ibi, miſſum a patre, lethiferam potionem, quam ipſa confecerat, ei ab archiatris Pſalerniae exhiberi curavit, eademque arte*

 etiam

d) biblioth. chirurg. tom. I. pag. 143.

e) Epiſt. ad Pandulfum clericum. Lib. V. ep. 16.

f) variar. lect. defenſio, pag. 144.

g) Proleg. in ſchol. Salern. pag. 11. *Fabric.* bibl. med. et inf. lat. Tom. II. pag. 53.

etiam maritum ſuum, *Robertum*, *intoxicavit* h). Unde jam tum legitimum coetum medicos ibi feciſſe et ſcholam qualemcunque extitiſſe manifeſtum eſt.

Ejusdem facinoris a SICHELGAITA perpetrati mentionem facit ROCCHVS PIRRVS i) hoc tamen diſcrimine, vt ſimul memoret, lethiferam potionem BOAMVNDO interficiendo non ſuffeciſſe, ROBERTVM vero GVISCARDVM ab ea anno MLXXXV veneno interfectum eſſe: ANT. vero MAZZA k) in principum Salernitanorum hiſtoria neque BOAMVNDVM, neque ROBERTVM veneno interiiſſe, refert.

JOANNEM medicum, CONSTANTINI AFRICANI diſcipulum, monachum Caſinenſem, qui PETRO DIACONO teſte anno MLXXII floruit, ſupra memoravimus. Qui ſi idem forte eſt cum JOANNE de MEDIOLANO, isque praeceptorum ſcholae Salernitanae de conſervanda bona valetudine verus auctor extitit, haec ſcholae Salernitanae praecepta circa haec tempora ſcripta ſunt. Quis ſane iſte JOANNES DE MEDIOLANO fuerit, quando vixerit, num monachus aut medicinae magiſter Salernitanus fuerit, auctores non memorant, exeunte vero ſaeculo XI et ineunte XII illum vixiſſe ſtatuunt l) Neque, vt poſtea docebimus, aliud argumentum eſt pro JOANNE praeceptorum ſcholae Salernitanae auctore, quam antiquorum codicum inſcriptio. Hoc vero de conſervanda bona valetudine opus, leoninis maxima ex parte verſibus conſcriptum, ſi ARNALDO VILLANO-

VANO

h) hiſtor. eccleſ. ad ann. 1085.
i) chronol. reg. Sicil, in *Graev.* et *Burmann.* theſaur. Vol. V. p. 13.
k) cap. V. pag. 14. D.
l) cf. *Saxii* onomaſt. Vol. II. pag. 205.

VANO fides eſt, qui illud ampliſſimis commentariis inſtruxit, nomine totius collegii Salernitani elaboratum atque editum eſt. In aliis ſcriptis editisque libris titulum medicinae Salernitanae, aut regiminis ſanitanis Salerni m) habet, operis ſcilicet aut non ab vno medico conſcripti, aut non absque conſilio et approbatione medicorum his temporibus Salerni florentium in lucem emiſſi. Probabile ſane eſt, vnum e medicis Salernitanis opus elaboraſſe, reliquos vero ſtudii medici magiſtros elaborata approbaſſe. Quod etiam antiquus codex MS. probat, quem editor Scholae Salernitanae haud ignobilis, ZACHARIAS SYLVIVS n) memorat, Tullovianus ab eo dictus, in cujus fine haec leguntur: *Explicit tractatus, qui dicitur flores medicinae, compilatus in ſtudio Salerni a magiſtro Joanne de Mediolano, inſtructi medicinalis doctore egregio: compilationi hujus concordant omnes magiſtri hujus ſtudii.*

Tempore ſane, quo haec de conſervanda bona valetudine praecepta conſcripta ſunt, magiſtros in medicina Salerni fuiſſe certum eſt, verſu etiam primo carminis id docente, quo.

Anglorum Regi ſcribit ſchola tota Salerni.

A temporibus, quibus diaetetica praecepta ſcholae Salernitanae conſcripta ſunt, vſque ad ea, quibus ROGERIVS, Siciliae atque Apuliae Rex, conſtitutiones ſuas edidit, ab anno MC ſcilicet, quo Scholae Salernitanae praecepta conſcripta eſſe dicuntur, aut ſi JOANNES medicus a PETRO DIACONO citatus is eſt, quem alii Medio-

m) *Ren. Moreau* in proleg. ad Sch. Sal. pag. 21.

n) in praefat. ad ſchol. Salern. cap. 3.

lanenſem dixere, ab anno MLXXII, ad annum vſque MCXL, quo ROGERIVS Rex, comitiis Ariani habitis, praecepit, vt conſtitutiones ſuae legis vim haberent o), vix medicus occurrit aut ſcientiae ſuae in Salernitana ſchola magiſter, aut medicinae peritia celebris: dubitare tamen non licet medicinalem ſcholam, his temporibus in vniverſo occidente, exceptis Saracenorum ſcholis in Hiſpania atque Monſpelienſi, et forſan Pariſina, parem non habentem, quae opus ſuum, Anglorum Regi inſcriptum ſatis fauſtis cum auſpiciis ediderat, quae antiqui ſplendoris haud parum habebat, edito in verſuum genere, quod his temporibus placebat admodum, libro, majorem famam acquiſiverit multosque habuerit, qui diſcendae medicinae cauſa ad eam confluerent. Deſunt quidem aliorum etiam auctorum de Salernitanae ſcholae in hac periodo ſtatu teſtimonia: verum quum omnes, qui ſequenti tempore vixere, vnanimi conſenſu eam florentiſſimam plane dicant, neque prius aliquid gloriae amiſiſſe, quam Neapolitana ſchola medica eſſet condita p); quum AEGIDIVS CORBOLIENSIS, qui PHILIPPI AVGVSTI temporibus floruit, eandem ceu ſuprema medicinalis artis gloria florentem deſcribat, non ſane eſt, quod dubitemus, quin Salernitana ſchola his temporibus fuerit celeberrima.

Quod etiam inde confirmatur, quod ROGERIVS, qui Salernitanos ſummopere amabat, annoque MCXXX in vrbem veniens, cuncta eorum privilegia confirmabat

o) *Giannone*, Tom. II. pag. 188. 189.

p) Teſtimonia haec collecta legere licet apud *Ant. Mazzam*, cap. IX. pag. 63 ſeq.

bat et eorum fidelitatem tantopere commendabat, vt in privilegio Salernitanis anno MCXXXVII dato publice profiteretur, *in tota Italia Salerni civitatem fidelitatem intemeratam conſervaviſſe*, primam in occidente legem dederit, *de probabili experientia medicorum* inſcriptam, quam ex praeclaro PAVLI CANCIANI q 1) opere deſcriptam hic legere non pigebit. *Quisquis amodo mederi voluerit, officialibus noſtris et judicibus ſe praeſentet, eorum diſcutiendum judicio: quod ſi ſua temeritate praeſumpſerit, carceri conſtringatur, bonis ſuis omnibus publicatis. Hoc enim proſpectum eſt, ne in regno noſtro ſubjecti periclitentur ex imperitia medicorum.*

Non quidem in hac lege, quae, lege Viſigothorum excepta q 2), quae poenas ſatis graves iis indicebat, qui medicinam cum periculo aegrotantium fecerant, omnium ideo datarum, vt medicina aegrotantibus tutior exiſtat, in occidente antiquiſſima et vere prima eſt, ROGERIVS praecepit, quod nepos ſuus, FRIDERICVS SECVNDVS, Romanorum imperator, fecit, vt examina a medicis Salernitanis inſtituerentur: intellexiſſe tamen ROGERIVM generali ſub officialium nomine medicos, inprimis, quos amabat, Salernitanos, ſanae rationi non plane repugnat. Complures in terris ROGERII imperio ſubditis extitiſſe homines, medicinam aliis facientes, adeoque diſcendae medicinae oca-

q 1) Barbarorum leges antiquae cum notis et gloſſariis. Accedunt formularum faſciculi et ſelectae conſtitutiones medii aevi. Collegit, animadv. illuſtravit — F. *Paulus Canciani.* Vol. I-III. Venet. apud Coletium et Piterium 1781. in fol. Lex Rogerii proſtat in conſtitut. Regni Siculi tit. XXXIV, 1. Tom. I. pag. 367.

q 2) *J. G. Heineccii* corpus juris Germanici. Hal. 1738. pag. 2141.

casionem plurimam extitisse, (eaque vix alibi, quam Salerni esse potuit) studiosos vero non paucos artem suam male didicisse vitaeque periculum aegrotantibus intulisse, hinc examinandorum et approbandorum medicorum necessitatem esse natam; ex his, quae in hac lege proponuntur, certe liquet. Necessariam vero fuisse legem, qua medicis divitiarum magis avidis, quam salutem hominibus dare quaerentibus, frena imponerentur, vel maxime ex AEGIDII CORBOLIENSIS, egregii morum, quos medici Salernitani his temporibus tenebant, descriptoris, patet. AEGIDIVS vero iste, quem Graecum fuisse quidam perhibent r), et saeculo jam VIII floruisse, Atheniensis fortasse ideo a quibusdam dictus, quod Athenis per aliquot tempus versatus esset studiorum causa, PETRI AEGIDII CORBOLIENSIS nomen habebat, simulque cum PETRO CORBOLIENSI, theologo, ex comitum Corboliae familia, temporibus PHILIPPI AVGVSTI, Francorum Regis, florebat teste PETITO, V. Clmo s). Floruisse eum saeculo XII Jo. ALB. FABRICIVS perhibet t), eique sententiae etiam LEYSERVS u) accedit, hoc praesertim ductus argumento, quod AEGIDIVS PARISIENSIS, qui temporibus COELESTINI III, quae in annos MCXCIV ad MCXCVIII cadunt, in carmine, quo CAROLI MAGNI laudes canit, AEGIDII CORBOLIENSIS, coaevi sui, mentionem faciat, his verbis:

No-

r) *Trithem.* de script. ecclesiast. n. 241.

s) in descriptione nosocomii Corboliensis, quae legitur in Gallico opere: Journal de médicine, 1786. Sept. p. 390.

t) bibl. med. et infim. latin. Tom. I. pag. 52.

u) hist. poetar. et poematum medii aevi. pag. 500.

Nominis ille mei celeberrimus arte medendi
Cum ſit et hic (in Gallia) *ortus, cujus facundia grata eſt,*
Et nunquam laudanda ſatis. — —

Ipſe vero AEGIDIVS in carmine ſuo ſe ROMVALDI, archiepiſcopi Salernitani, temporibus (ab anno MCLVII, vſque ad annum MCLXXXI) vixiſſe dicit. Salernum ſtudiorum cauſa petiit et a medicinae magiſtris ibi docentibus medicinam didicit. Quod ipſe in variis locis carminis ſui de viribus medicaminum teſtatur. Princeps locus in prologo ad librum ſecundum carminis proſtat, ex quo patet, eum Salernitanis, vt quidem CONRINGIVS x), ex male intellecto carminis loco, voluit, minime inimicum, verum potius amicum, et Salerni ſtuduiſſe arti, et in hoc carmine curaſſe, vt medicamenta Salernitanis adhiberi ſolita commentariis inſtrueret. Carmen ſuum ita alloquitur y:

Vt melius vigeat vetus anticumque Falernum,
In ſegetes transfunde novos, gentique Salernae
Crateri mandata novo, ſua vina propines.
Quae poſtquam guſtu doctaque probaverit aure,
Noverit illa ſuis collecta in montibus eſſe.
— — — — — —
— — — *mea philoſophis fer dona Salernis,*
Aegidio mittente ſuo foecunda ſalutis
Fercula, ſuſcipiant non dedignante labello.
Scripta legant: honor eſt patri, cum proficit haeres.

Sic

x) antiq. acad. diff. III. pag. 102. §. 22. ed. Heumann.

y) Prolog. ad Libr. II. v. 20. et 31 ſeq. *Leyſer* libr. cit. pag. 538. 539.

Sic famulo respondet herus: sic foedere certo
Atque relativo patri est obnoxia proles:
Discipulo doctor tanta compage ligatur &c.

Opera conscripsit, quae ex parte desiderantur, *de pulsibus*, *vrina*, metrico sermone. Absolutissimum est *de virtutibus et laudibus compositorum medicaminum carmen*, in quibusdam codicibus de antidotis inscriptum, quod ex codice manuscripto bibliothecae Guelpherbytanae Leyservs edidit, 4,555 versibus hexametricis, leoninis tamen subinde interpositis, constans, non penitus, pro saeculi ingenio, malis, imo subinde bonis. Dolendum vero est, carmen aut in ipso codice mutilum fuisse, aut a Leysero cum plurimis erroribus, qui sensum non raro turbant, esse editum.

Sequenti autem modo Aegidivs medicos in Salernitana schola educatos describit z):

— — — *medicum vitare decebit,*
Qui novus et medicae rudis est tyrunculus artis,
Qui crudus de Doctoris fornace recedens,
Verborum lites, sed nullos attulit actus:
Gutture qui tumidus dum ventos garrit inanes,
Assuetus quosdam physicae dissolvere nodos,
Tactus avaritia multum metuenda peritis,
Curandi morbos excelsa negotia curat:
Qui de se male praesumens — — —
Corporis ac animae, quibus intricata tenentur,
Dissolvit nodos et vitae stamina rumpit.
Et rasos de morte facit gaudere lupercos.

Me-

z) de virib. medicamin. Lib. III. v. 449. *Leyser*, pag. 597.

Medicos autem ex Salernitana ſchola tales exiiſſe, et quidem non in Italiam tantum, verum etiam in alias terras, gravis iſta cenſura probat, qua Aegidius in Salernitanos medicinae magiſtros animadvertebat, qui, nullo facto diſcrimine, omnibus concedebant, vt docerent medicinam, quibus diſcere illam magis conveniſſet: veterum vero medicorum Salernitanorum morem in eligendis magiſtris medicinam docentibus alium fuiſſe eosque probatiores doctores habuiſſe, diligenter notat. Sic enim, verſibus, quos mox dedi, praemiſſis, canere pergit a):

O nimis a ritu veterum, ſi dicere fas eſt,
A recto quoque judicio cenſura Salerni
Devia, cum tolerat, animo cum ſuſtinet aequo
Nondum maturas medicorum ſurgere plantas,
Impuberes pueros Hippocratica tradere jura
Atque machaonias ſancire et fundere leges,
Doctrina quibus eſſet opus ferulaeque flagello,
Et pendere magis vetuli doctoris ab ore,
Quam ſibi non dignas cathedrae praeſumere laudes.
Rex puer, imberbis judex, cathedrae moderator
Absque pilis, matremque gerens impubere vultu,
Et medicus pleno nondum provectior aevo
Diſſona ſunt, nullaque ſibi ratione cohaerent,
Et phyſicae titulos haec majeſtatis obumbrant.

Non ſine cauſa itaque haec lex a Rogerio data eſt. In terris tamen Rogerii imperio ſubditis diligenter obſervata non eſſe videtur. Aegidius enim, qui carmen ſuum de viribus medicaminum exeunte ſaeculo XII pu-

a) Libr. III. v. 564.

publicavit, quod, vt ipſe enarrat, *ſecretum diu noctis ſub vmbra* latuerat, quique ipſe carmen ſuum ita alloquitur b):

— — — cum provectior aetas
Jam tibi ſit, denſisque habeas pubeſcere plumis,
— — — — —
I, — firmò veſtigia greſſu
Dirige, cum rectis habeas procedere talis,
Et quae delicti praeco ſolet eſſe, pudoris
Nulla tibi teneros ſuffundat purpura vultus,

quod adeo ſenex in Gallia, patria ſua, confecerat, ineunte forſan altera ſaeculi XII parte, quum exeunte prima, adeoque non longe poſt publicationem legis a Rogerio datae de probabili experientia medicorum, Salerni ſub Mvsandino, Mavro atque Plateario ſtuduerat, hanc legem non memorat, quam ſine dubio memoraſſet, ſi fama illius ad eum perveniſſet. Nam in ejusdem carminis progreſſu ita canit c):

O veſana hominum rabies errorque profanus,
Devius intuitus, miſeros qui talibus aegros
Committunt medicis, quos nulla probatio coxit,
Nulla quibus fidei manet experientia teſtis.
Quos ſubitae necis artifices hoſtesque malignos
Humani generis, poſſet lictoris iniqua
Condemnare manus: nam cur lex Regia ſontes
Arguit, et ſaevo capitis diſcrimine damnat,
Talibus vt parcat medicis?

Ipſe

b) Prolog. ad libr. I. verſ. 58. *Leyſer*, pag. 507.

c) de virib. medicam. Libr. III. v. 578. *Leyſer*, pag. 598.

Ipſe autem Aegidivs, vir pro temporum ſuorum more eleganter doctus atque bonus verſificator, qui, imitatione forſan Salernitanorum medicorum ductus, verſus quosdam leoninos atque vario alio modo concordantes carmini ſuo immiſcuit, in quo non pauca loca occurrunt vetuſtiore et majoris famae poeta plane digna, vnicus ex ſcriptoribus medii aevi eſt, qui plura prodidit, quae ad modum, quo medicina in Salernitano ſtudio doceri ſolebat, pertinent. Eaque generatim iterum probant, quod ſupra jam docuimus, Salernitanos medicos Graecos magis, quam Saracenos probaſſe Salernitanamque ſcholam Galenvm inprimis atque Hippocratem eſſe ſequutam. Hippocratem quidem ſemel tantum, neque absque laude, in carmine ſuo citat Aegidivs, Galenvm vero ſaepius, vniverſi orbis doctorem, neque vnquam, niſi cum laude plurima. Nec vllas alias compoſitiones medicamentorum enarrat, niſi graecas, aut latinas: vnicam tantum Saracenicam memorat e), quam adverſus varios morbos quidem laudat, verum hac occaſione, qua alias commode vti ſolet, neque hujus compoſitionis auctorem, neque ex Arabibus, qui his temporibus in medicamentorum compoſitionibus admodum inclaruerant, alium vllum memorat.

Deinde etiam notandum eſt, Salernitanam ſcholam his temporibus medicamentis compoſitis enarrandis operam maximam dediſſe, minorem medicinali theoriae, quam adeo neglexiſſe videtur. Ipſe Aegidivs in praefatione ad carmen ſuum f) omnem fere aliam

e) Lib. IV. v. 743. pag. 661.

f) *Leyſer*; pag. 503.

aliam doctrinam medici, nisi illam, quae medicamentorum vsum concernit, omnesque alios libros, nisi eos, qui medicamenta enarrant, improbat, satisque esse putat bono medico, vt medicamenta sciat. Alii etiam, quos nominat, medici, medicamentorum studio operam dederant. NICOLAI adeo et PLATEARII, in quod hoc carmine commentatus est, antidotaria ad nostra vsque tempora pervenerunt. Eaque medicamenta non simplicia erant, verum composita, non raro pretiosa et divitibus tantum curandis apta: praecepta pauperibus amica vix in vniverso opere, neque in NICOLAI et PLATEARII antidotariis reperiuntur. Haec vero pro saeculi ingenio ita fiebant. GALENI libros theoreticos medici ignorabant: parvam vero artem GALENI, libros de methodo medendi et de administratione medicamentorum secundum loca optime callebant, loco vero simplicium medicamentorum a GALENO vtplurimum laudatorum, suas plerumque compositiones adhibebant.

Salernitani vero, praesertim veteres doctores, in adhibendis medicamentis regulas sequebantur bonos medicos omni modo decentes, quas ex AEGIDIO transscribere placet. Catholico imperiali, his temporibus famosissimo, enarrato, sic pergit g):

Expediens igitur solertis imagine mentis
Obscuros medico rerum explorare recessus,
Ut quae danda, quibus perpendat, quaeve neganda,
Quae crasis exploret hominis, quae forma, vel aetas;

Quae

g) de virt. medicam. Lib. II. v. 848. pag. 610.

Quae virtus, quae compoſiti ſubſtantia conſtet,
Rara ſit, an ſolida, quae ſit junctura viarum,
An ſtricti ſint membrorum, largive meatus,
Quis locus humorum, quae cauſa forinſeca morbi,
Quae ſit privata, qualis ſit corporis humor,
Fluxilis an durus, quae ſit mixtura malorum.
Quod ſuperat (de cathartico imperatoris) *ſimplex in acumine fertur acutum,*
Pondere ſub certo, cujus metitur acumen,
Regula doctorum quondam deciſa Salerni,
Quam noſtri venerantur adhuc celebrantque moderni.

Medicinas etiam a ſe confectas Salernitani vendiderunt, probarique poteſt ex conſtitutionibus Siculis Friderici Secvndi Imperatoris; in quibus graviſſima poena indicta cavetur, ne aromatarii et confectionarii effoeta et minus bene confecta medicamenta divendant, pharmacopolia (apothecas et ſtationes Fridericvs vocat) Salerni fuiſſe. Salernitanus ager temporibus Aegidio longe ſuperioribus, ob medicinales plantas efficaciores celeberrimus erat. Salernum enim quidem, auctore Aegidio, nebulas pingues combibit foedaque corrupti carpit contagia coeli,

Sed medicinarum, ſibi quas montana miniſtrant,
Urbs jaculis armata viget h).

Alio loco vrbem, ob aromata etiam, ſequenti modo laudat i):

Cujus forma nitet late diffuſa per orbem,
Quam medicinalis ratio, quam phyſicus ordo
Incolit atque regit, quam noſtrae providus artis
Cultus odoriferis ſpecierum inbalſamat orbis.

Mon-

h) Lib. III. v. 588. pag. 594. i) Lib. IV. v. 696. pag. 655.

Monstrum Salerni natum erat a matrona quadam, *degeneris formae, enormis geniturae prodigium, natae noviter conforme fuisse* k), cujus origines quidam spermatis apud Salernitanos corruptioni adscripserant. Aegidius vero haec monet l):

Si daret huic monstro corruptio spermatis ortum,
Herbarumve esus, vel menstruus humor abundans,
Aut intemperies matricis, sive superni
Ultio supplicii, meritis inflicta priorum;
Physica per species herbas et aromata totum
Deleret vitium causamque mali removeret.

Memorat itaque indigeno malo indigenam quoque medicinam fore: solas enim indigenas medicinas ad hoc malum memorare versus proxime sequentes quoque probant:

Sanctus et assiduo placatus thure Matthaeus
Compatiens populo, coeli converteret iram.

Sancti vero Matthaei Evangelistae, medicorum Salernitanorum patroni, corpus apud Salernitanos servari creditur in ecclesia majore basilica m).

Apud Monspelienses jam his temporibus medicos extitisse claros scholamque quandam floruisse, supra memoravimus, ipseque annuit Aegidius, Matthaeum quendam medicum apud Monspelienses doctissimum laudans, reliquos vero omnes atro carbone notans n). Hos medicos herbarum et conficiendarum atque vendendarum ex iis paratarum medicinarum (vt

k) Lib. IV. v. 564. pag. 654.
l) Lib. IV. v. 610. pag. 655. 656.
m) *Mazza*, cap. 6. pag. 17. 18.
n) Lib. I. v. 145. pag. 510.

(vt fere confectionarii in hac vrbe adhuc solent) studio inclaruisse, ipsosque et in hoc Salernitanos medicos esse aemulatos AEGIDIVS testatur, qui eos vehementer taxat, theriacam magnam ad quaevis mala commendantes o 1):

Unde sibi caveant montani pharmacopolae,
Verbosi, vacui, fallaces Quinctiliani,
Quos facit artifices attritae frontis egestas,
Quos gula, quos stimulat et cogit avara dolosi
Ambitio nummi carmen ructare Salernum,
Quos non artis amor, non fama, sed ambitiosi
Incitat et pungit venalis gratia quaestus;
Non male praesumunt genus hoc tentare medendi,
In quo plus valet ars, quam praeceps alea, casus.

Cui studio potissimum Montani medici indulserint ex hoc loco optime liquet. Quid vero AEGIDIVS voluerit, Montanos medicos incusans, quod *carmen Salernum ructare* voluerint, non plane video: aut enim medicos Monspelienses Salernitanos voluisse imitari in medicamentis laudandis atque divulgandis, aut, vt Salernitani fecerant, carmen edidisse, suis speciebus emptores vt conciliarent, mens AEGIDII in hoc loco esse videtur. *Regimen sanitatis*, quod vero videre mihi non licuit, Parisini etiam, imitantes scholae Salernitanae praecepta, cum iisque in plerisque congruens conscripsisse a Fabricio o 2) dicuntur. Editionem Brunsvicensem hujus libri ab anno MDIX, cum ger-

 ma-

o 1) Libr. IV. v. 638. pag. 656.

o 2) bibliothec. latin. Vol. III. Lib. IV. cap. 12. pag. 883. edit. Hamburg. 1722.

manica metaphrasi FABRICIVS ad manus habuit, ex eaque hos versus excerpsit:

Anglorum Regi conscripsit schola solemnis
Ad regimen vitae praesens hoc medicinale.
De Schole tho Paris heft geschreven und gesandt
Dem Edelen Konnige van Engelland,
Dith gegenwerdige Arstedie Bokelien,
Wie de Minske schal regiren dat Levent sien.

Sed in his saltim latinis versibus de Parisina schola nihil occurrit: An forsan Monspelienses hoc regimen edidere, *Salernitanum carmen* vere *ructantes?* Non incredibile est.

Caeterum etsi iniquus in Monspelienses medicos hoc in loco esse videtur AEGIDIVS, in aliis tamen eos absque laude sua esse non sinit, magis tamen vt RENAVDVM egregium medicum, quam ipsam scholam totam laudet. Locus in tertii libri prologo memoratu dignissimus prostat, ob scholae Monspeliensis laudes, et ob varia alia ad studiorum modos his temporibus vsitatos pertinentia p). Versus suos alloquitur poeta.

Vos nullus pudor impediat doctoris adire
Renaudi sedes, quem longi temporis vsus
Foecundumque magis vetus experientia fecit.
Qui non insipidos, qui plantae more novellae
Non profert acidos fructus, sed quos bene coxit
Assiduus studii labor et meditatio longa.
Qui Pessulani pridem vetus incola montis,
In medicinali doctor celeberrimus arte
Jura monarchiae tenuit: sed spiritus almus
Nunc elegit eum.

Scho-

p) vers. 16. pag. 574.

Schola juris consultorum etsi apud Monspelienses auctore PHILIPPO AVGVSTO anno circiter MCXCVI primum instituta fuit q), hic AEGIDII locus tamen optime probat, medicorum scholam prius ibi extitisse. Si enim AEGIDIVS exeunte saeculo XII floruit carmenque suum jam ante haec tempora confecit, necesse est, vt RENAVDVS medio saltim saeculo XII floruerit: quumque eum non memoret primum apud Monspelienses medicinae magistrum AEGIDIVS, credibile est jam ante RENAVDI tempora medicam scholam in hac vrbe extitisse, adeoque omnium, quae in Gallia florent, antiquissimam.

Chirurgiam, quam prisci medicinae adjunxerant, Itali vero separatam a medicina, in varias partes diviserant, medicis a saeculo XI vulnerum, fractarum partium, oculorum r) existentibus, AEGIDII etiam temporibus a medicina fuisse separatam, his versibus probatur s):

Plus quoque rheumatico pulsetur tempora motu,
Urere temporibus jubet aut incidere venas
Docta chirurgiae ratio, quam lex medicinae
Consiliis plerumque suis dignatur adesse:
Nec mores ejus refugit meritumque profanat,
Carnificis licet infames declinet in actus.

Quae tandem ad externum scholae Salernitanae statum temporibus, quibus AEGIDIVS carmen suum conscrip- D 4 sit

q) *Heumann* bibl. histor. academ. ad *Conring.* antiq. acad. pag. 120. 121. *Saxii* onomast Vol. II. pag. 277.

r) Del Risorgimento d'Italia negli studi nelle arti e ne' costumi, del Abate *Saverio Bettinelli* Part. I. cap. 2. pag. 69. 70.

s) Lib. IV. vers. 1409. pag. 687.

ſit, iisque ſuperioribus (antiquiora enim etiam memorat) pertinent, fere ſequentia ſunt:

I. Antiquis jam temporibus ſcholam Salerni medicam extitiſſe: antiquiorem ob excellentiam magiſtrorum et diſcentium ſeverius ſtudium praeſtantiorem ea fuiſſe, quae Aegidii temporibus floruit.

II. Hanc ſcholam antiquiorem et meliorem jam ante Constantini Africani tempora extitiſſe: Constantini enim tempora temporibus Aegidii nimis vicina ſunt, quam vt veteris ſcholae famam priſcamque gloriam poſt Constantinvm tantis laudibus ornare potuiſſet, quantis vere ornavit.

III. Scholam Salernitanam medicam itaque eſſe antiquiorem, quam hiſtoriae literariae ſcriptores fere omnes ſtatuunt: et ſi etiam ſcholae medicae in occidente tam antiquis temporibus extitere, eae non ex collegio docentium, ſed ex vnico magiſtro conſtabant. Plures vero Salerni extitere his temporibus medici medicinam ſimul docentes atque medicorum collegium conſtituentes.

IV. Scholam Salernitanam medicam temporibus, quibus Aegidivs medicinae diſcendae cauſa Salerni degebat, praeclaros viros habuiſſe, quos mox enarrabimus, Petrvm Mvsandinvm, Platearivm atque Mavrvm.

V. Rectore ſuo adeo gaviſa eſſe videtur Salernitana Schola Aegidii tempore, qui leges tueretur et medici Palladii cuſtos eſſet. Aegidivs enim librum

bum suum, securitatem ab invidia illi promittens, sic alloquitur t):

Nam cum decalogi gestans mandata secundi,
Si legis rector, medicae capsarius artis
Palladii custos, gazaeque auriga paternae
Temperet invidiam, Tibi defensacula ponet
Musandinus.

Legis rector is fuisse videtur, qui Salerni rebus medicis scholaeque suae praefuit, idemque cum eo, quem Salernitani nostris adhuc temporibus Priorem dicunt. Capsariorum nomine thecae veniebant, variis rebus adservandis idoneae, thecae inprimis, quibus sanctorum reliquiae servabantur: capsarii etiam ii vocari solebant, qui in balneis vestimenta custodienda suscipiebant, aut aliis libros ad scholam portabant u): hinc medicae artis capsarius Aegidio fuisse videtur, qui medicinalibus studiis praeerat.

VI. Antiquis jam temporibus eos, qui medicinam exercere volebant, a Salernitanis medicis esse examinatos.

VII. Caeterum notatu dignissimum est, Aegidium, Salernitanorum alias tantum laudatorem, neque Constantini Africani, neque carminis Salernitanae scholae mentionem fere vllam facere. Constantini medicamentum, hieran pigram citat; verum an Constantinvm Africanvm voluerit, dubium est, nihil enim, vt alias copiose solet,

 aut

t) in prolog. ad Libr. I. vers. 87.

u) *du Fresne* glossar. ad scriptor. mediae et infimae latinitatis Tom. I. pag. 815.

aut diligens laudator, aut vituperator strenuus, de CONSTANTINO memorat. Neque Salernitani carminis aliam, quam forsan data occasione quadam, mentionem facit in versibus supra a nobis citatis. Versus tamen quosdam habet, quibus Salernitanae scholae versus imitatus esse videtur, quorum aliquos apponere placet. Versu 207 Libri II. haec ait:

Quod sit de moris, morbos exterminat oris.

Versu vero 441 Libri II.

Annorum metas, ipsius clauditur aetas,

qui sane cum Salernitanorum versu optime consonat:

Pone gulae metas, vt sit tibi longior aetas.

VIII. Parisiis AEGIDIVS carmen suum conscripsit ROMVALDI SECVNDI temporibus, qui ab anno MCLI vsque ad annum MCLXXXI archiepiscopatum Salernitanum tenuit, quemque x)

Romanae curia sedis
Nunc colit auctorem physicae vitaeque patronum.

Medicinam autem Parisinorum his temporibus vix multum valuisse, neque forsan medicinae magistrum his temporibus Parisiis extitisse, inde liquet, quod ROMVALDVM rogat AEGIDIVS, vt y)

Ipse novo faveat operi, nec Parisinas
Aestimet indignum physicam resonare Camoenas.

IX. Tandem vt facilius lex FRIDERICI SECVNDI imperatoris, de qua mox agemus, intelligatur, monere licet, jam AEGIDII temporibus homines extitisse,

x) Lib. I. v. 138. y) Lib. I. v. 141.

tiſſe, a medicis diverſos, qui medicamenta componebant atque vendebant, apothecarios aut pharmacopoeos dictos, eorumque fraudes tantas fuiſſe, vt aegrotantium vita in ſummum periculum incurreret. Sic enim de nociva mellis qualitate in morbis et de ſacchari, ſive potius lacrymarum arundinis ſacchariferae, valde pretioſi his temporibus medicamenti, virtute agens loquitur z):

Mel dyscraſiae ſtimulus, fomesque furoris,
Perniciem necis accelerat vitaeque ruinam.
Ergo luant facinus et quae diſcrimina mortis
Fraude ſua plerumque alios incurrere cogunt,
Haec ipſi ſubeant et mortem morte rependant,
Qui vendunt ſpecies et aromata pharmacopoei,
Qui pigmenta colunt: qui dum ſua pondera mutant,
Et trutinas fallunt, et formas conficiendi.
Fraudis adulterio vitiant, dum mella ſyropi
Compellunt ſupplere vices: dum noxia vendunt,
Et bona teſtantur medicorum nomina.

Plures etiam medicos citat Aegidius Salernitanos, aut ſuis, aut ſuperis temporibus, adeoque fere poſt Constantinum Africanum, vſque ad Fridericum Secundum viventes, quos cum aliis, qui iisdem temporibus vixerunt, enarrabo.

Antiquiſſimus ex iis, qui his temporibus vixere, Nicolaus eſt, cujus antidotarium Joannes Platearius annotationibus auxit, quemque *duo aromataria compoſuiſſe vtili ſermone, quae ambo cummuniter in vſu haban-*

z) Lib. II. v. 898. pag. 573.

bebantur, CHRISTOPHORVS DE HONESTIS a) refert. Medicamentum non ignobile, pueris soporem incutiens, ab ipso inventum pharmacopolia nostra adhuc servant. Celeberrimum vero fuisse et suis temporibus primum, CHRISTOPHORVS DE HONESTIS in praefatione sua ad MESVEN docet. *Intelligendum est*, *inquit*, *quod Nicolaus medicus fuit diu exercitatus in practica et in naturali ingenio*, *natione Salernitanus*, *plenus divitiis et ex nobili sanguine procreatus*. *Fuit autem temporibus suis primus. Et non est longum tempus elapsum*, (CHRISTOPHORVS anno MCCCLXXX scripsit) *cum in dicta civitate Salerni digna ac clamosa per orbem vigebat fons scientiae et maxime practicae medicinae.* Tanta sane in existimatione suum erat antidotarium, vt AEGIDIVS putaret, medicinae practicae studiosos *antidotarii hujus satis larga et diffusa disciplina contentos esse posse* b)

NICOLAVM, vt jam dixi, JOANNES PLATEARIVS illustravit, qui ante AEGIDIVM CORBOLIENSEM, in media XII saeculi parte, adeoque non saeculo XIII ineunte vixit, vt HALLERVS c) vult, cujusque glossas in NICOLAI antidotarium AEGIDIVS carmine illustrandas sibi sumsit. *Substramentum scilicet et materiam suae expositionis sumsit glossas super antidotarium, a magistro Joanne Plateario editas constituentes.* Celeberrimus apud Salernitanos fuit, temporibus vero AEGIDII jam fato erat functus. De eo enim, postquam MVSANDINI, prae-

a) in praef. comment. in antidot. Mesues. *Conring.* diss. III. pag. 105.

b) in praef. in libr. de virt. et laud. medicam. pag. 503.

c) bibl. med. pract. Tom. I. pag. 432.

praeceptoris sui, fata doluerat, sequentem in modum canit d):

Vellem quod medicae doctor Platearius artis
Munere divino vitales carperet auras,
Gauderet metricis pedibus sua scripta ligari,
Et numeris parere meis.

De MVSANDINO vero, cujus etiam liber quidam scriptus extat, nempe *summula de praeparatione ciborum et potuum infirmorum secundum Musandinum*, qui in bibliotheca Regia Parisina adservatur e) et idem forte est cnm libro: *de diaetis infirmorum secundum magistrum Petrum de Musanda*, qui in catalogo codicum manuscriptorum Angliae et Hiberniae f) occurrit, AEGIDIVS haec habet g):

O utinam Musandinus nunc viveret auctor!
Ille meos versus digno celebraret honore.
Ipse meis scriptis signum punctumque favoris
Imprimeret, placido legeret mea carmina vultu.
Et quod in irriguis illius creverat hortis,
Ipse meum sentiret olus, gustuque probaret.

Praeter MVSANDINVM vero MAVRVM etiam praeceptorem habuit AEGIDIVS, qui etiam scripta quaedam reliquit, hactenus inedita, nempe *tractatum de urinis* h) et *librum phlebotomiae secundum magistrum Maurum* i) nec

d) Lib. I. vers. 110. pag. 509.
e) Catal. Cod. MS. bibl. Paris. Vol. IV. p. 297. Cod. 6954.
f) Vol. I. pag. 128. Cod. 2462.
g) Libr. I. vers. 98. pag. 509.
h) Catal. Cod. MS. biblioth. Parisin. Vol. IV. pag. 298. Cod. 6963. 6964.
i) Catal. MS. Angl. Vol. II. Cod. coll. nov. 1135.

nec non *de vrinis et febribus* k). De hoc praeceptore ſuo AEGIDIVS ita canit l):

Petri (Muſandini) *Maurus mihi damna reformet,*
Paſtor ovem, membrumque caput, famulumque patronus,
Doctor diſcipulum, noſcat ſua mater alumnum.

Et verſu 93. Libri I. Muſandini

Spiritus exſultat et magni pectora Mauri
Tota replet. Maurus redimit damnumque rependit,
Prima quod in Petro paſſa eſt et perdidit aetas,
Qui tanquam nanus humeris colloque gigantis
Deſuper incumbens, ipſo fortaſſe tuetur
Longius, et ſummo ſuperaddidit culmina monti.

Opibus vero abundaſſe MAVRVM medicamentaque aegris pretioſa dediſſe, hinc pauperibus nullam, aut parcam feciſſe medicinam, occaſione medicamenti diamargariton, quod maximo pretio vendi ſolebat, AEGIDIVS docet his verbis m):

An quia deficiunt ſpecies et aromata deſunt,
Codrizat tua, Codre, ſalus, dejecta fatiſcit
Corporis integritas, quia te praeſentia Mauri
Splendida non recreat, multo ſpectabilis auro.

JOANNEM quoque CASTALIVM memorat, PETRI MVSANDINI diſcipulum haud ignobilem et praeceptori fere parem no):

Mente bona mea Caſtalius decreta Joannes
Suſcipiat, quem dum pueriles volveret annos,

Myr-

kl) Libr. I. verſ. 107. pag. 509.
m) Libr. II. verſ. 101. pag. 540.
no) Libr. I. verſ. 126. pag. 509.

Myrtum humilem Musandino sub praeside vidi.
Audio nunc ipsum summis contendere lauris
Et sua nobilibus aequasse cacumina cedris.

SALOMONEM amicum et praeceptorem habuit AEGIDIVS, quem hoc modo laudat p):

Qui trahit a docto nomen Salomone Matthaeus,
Qui nitet eloquio, qui mentis acumine pollet,
Suscipiat placido Salomon mea carmina vultu,
Et se noscat in his: sua condimenta saporet,
Melque suum sugat, quod vasa novella propinant.

RICARDVS senior Salernitanus an Monspeliensis medicinae magister fuerit, incertum est: saltim ex AEGIDII carmine patet, eum multa floruisse fama et plures in medicinae scientia instituendos habuisse q):

Qui vetulo canos profert de pectore sensus
Ricardus senior, quem plus aetate senili
Ars facit esse senem, meliusque senescere cogit.

Tandem etiam RIGORDI empirici mentionem facit his verbis r):

Nam est empirici sententia vana Rigordi
Judicio reprobanda meo, damnabilis, omni
Digna cruce.
Qui requiem monachis in acutis febribus offert,
Et requiem facit aeternam.

Et hi omnes fere medici sunt, quos AEGIDIVS in carmine suo memorat. Superest, vt alios quosdam aut me-

p) Libr. I. vers. 145. pag. 110.
q) Libr. I. vers. 152.
r) Libr. IV. vers. 383. pag. 646.

medicos Salernitanos, aut doctos viros, qui medicinam Salerni his temporibus coluerunt, enarrem.

Sanctus BRVNO Signiensis episcopus, postea montis Casinensis abbas, deinde PASCHALIS pontificis iussu iterum episcopus Signiensis, insignis ecclesiae defensor atque doctor inter plurimas homilias theologicosque libros alios, non pauca scripsit, quibus naturalem historiam theologiae accommodasse videtur, *de montibus novis*, *de arboribus novis*, *de maribus novis*, *de avibus novis*, *de animalibus novis*, quorum titulos PETRVS DIACONVS s) enarravit. A LVCIO III. Romanorum pontifice sanctis adscriptus est anno post obitum suum LVIII, annorum vero computatio docet eum anno MCXXVI fato esse functum, quod etiam Jo. BAPT. MARVS t) confirmat, qui eum anno MCXXV obiisse refert.

ROMVALDVS II, Salernitanus archiepiscopus ab anno MCLVII ad annum vsque MCLXXXI, quem supra ex AEGIDIO CORBOLIENSI laudavimus, hic iterum citandus est. Romanae enim sedis curia eum auctorem physices vitaeque patronum colebat, et GVILIELMVS, Siciliae rex, eum morbo, quo demum anno MCXXVII occubuit, laborans, vocavit, vt ejus auxilio valetudinem recuperaret.

SALADINVS ASCVLANVS Salerni medicinam didicerat annoque MCLXIII principis Tarentini medicus fuit. Extat ejus compendium aromatariorum, saec. XV

s) de viris illustrib. Casin. c. 34.

t) in not. ad *Petr. Diac.* cap. cit. cf. *Aug. Oldoini* Athenaeum Romanum, pag. 149. *Fabricius* biblioth. script. med. et inf. latin. Tom. I. pag. 787.

XV et XVI cum Mesues operibus, et seorsim editum u). Eum tamen HALLERVS x) longe recentiorem annoque MCCCCXLVIII floruisse putat.

Tandem mulieres etiam Salernitanae haud paucae medicinae peritia inclaruere. Tempora, quibus vixere, incerta sunt, eas tamen saeculis XII aut XIII floruisse credibile est. ROBERTVM MALA-CORONA suis temporibus Salerni neminem in medicinali scientia parem habuisse, praeter sapientem quandam matronam, supra ex ORDERICO VITALI retulimus. ABELLA libros metrice conscripsit, teste ANT. MAZZA y) *de atra bile* et *de natura seminis humani*, MERCVRIADIS *de crisibus, de febre pestilenti, de curatione vulnerum, de vnguentis,* REBECCA *de febribus, de vrina, de embryone*. TROTTAE vero, sive TROTVLAE liber de feris, et qui adhuc extat, *de mulierum passionibus ante, in et post partum*, GRVNERO, Viro Ill. docente non ab ipsa, sed a medico Salernitano alio, eoque longe recentiore, conscriptus est z).

Caeterorum medicorum Salernitanorum omnium, quorum nomina dedere HERMANNVS CONRINGIVS a) et ANTONIVS MAZZA b), BENEVENVTO GRAPHEO DE HIERVSA-

u) *Fabric.* biblioth. med. et inf. lat. Vol. VI. pag. 401. *Jagemannus*, sive potius *Tiraboschius*, Vol. III. part. I. p. 177. eadem ex *Fabricio* repetiit.

x) biblioth. botan. Tom. I. pag. 237.

y) cap. IX. pag. 63.

z) Progr. neque Eros, neque Torotula, sed medicus Salernitanus, auctor est libri, qui de morbis mulierum inscribitur. Jen. 1772.

a) antiq. academ. diss. III. pag. 105.

b) cap. IX. pag. 58 seq.

rvsalem tamen forte excepto, qui libellum de oculorum affectibus scripsit et ab Herm. Conringio c) saeculo XII floruisse dicitur, aetas aut recentior est, (de medicis enim tantum Salernitanis, qui saeculo XII floruere hic dicere animus erat) aut ignota: Plures saeculum XIII et XIV tulit, infra nominandos.

Salernitanam enim scholam Fridericvs Secvndvs, Romanorum Imperator cum saeculo XIII. amplissimis ornasset privilegiis, studiorumque vniversitatem Neapolitanam condidisset, fama Salernitani et Neapolitani studii in immensum crevit, literarum et medicinae studiosis ad Neapolitanum studium vniversale et medicam Salernitanam scholam crebro confluentibus. Prius autem quam privilegia enarremus, Salernitanis a Friderico Secvndo data, Neapolitani studia initia atque progressus ad haec vsque tempora breviter enarranda sunt.

Neapolis, Graeca civitas, ab antiquissimis temporibus scholas suas habuerat. Ipse Fridericvs Neapolim antiquam matrem et domum studiorum vocat diversarumque scientiarum doctores dudum in regno fuisse memorat d). Hos doctores in vnum et vniversale quidem studium vt redigeret, anno MCCXXIV scholas Neapolitanas renovavit et in vniversitatem studiorum mutatas splendidiores effecit, scholis in vnum quasi collectis terrarum Neapolitanarum atque Sicularum omnibus.

Nea-

c) de scriptoribus XVI post Christum natum saeculorum ed. *Kranzii*. Saec. XII. cap. IV. pag. 121.

d) *Petr. de Vineis* epist. Libr. III. 10. pag. 411. 412. edit. quae Basileae, anno 1566. prodiit.

Vt Neapoli studium reformaret, movit eum *tam marinae vicinitatis habilitas, quam terrenae fertilitatis foecunditas, vt quam localis amoenitas plenitudine rerum gratificet, docentibus et addiscentibus, vndique collecta commoditas efficiat gratiosam* e) Idque generale studium conditum est anno MCCXXIV, literis ideo in Siciliam et Apuliam missis generalibus, quarum aliquae in epistolarum collectione a praeclaro viro, PETRO DE VINEIS facta adhuc leguntur. Institutis autem vniversitas studiorum Neapolitana inprimis sequentibus gaudebat: Datis salariis amplissimis donariisque magistri conducebantur, et in civili quidem scientia magister ROBERTVS DE VARANO et magister PETRVS de HIBERNIA, *viri* quos ipse FRIDERICVS vocat, *magnae scientiae, notae virtutis et fidelis experientiae* f). PETRVM DE HIBERNIA invitaverat, *vt ad celebranda communis studii festiva inaugurationis solemnia* Neapolim veniret, annuo ipsi salario XII vnciarum auri promisso. g) Praeter hos vero in aliis etiam scientiis professores, quorum vero nomina in epistolarum PETRI de VINEIS editione, quam ad manus habeo, desiderantur, instituit.

Omnibus simul mandabat, qui provincias regebant et administrationibus praesidebant, vt sub poena personarum et rerum injungerent, *vt nullus scholaris legendi causa exire audeat extra regnum, nec infra regnum aliquis addiscere audeat alibi vel docere: et qui de regno in scholis sunt extra regnum, ad festum S. Michaelis nunc pro-*

e) *Petr. de Vineis*, Libr. III, epist. 10. pag. 412.
f) *Petr. de Vineis*, Libr. III. epist. 11. pag. 415.
g) Libr. III. epist. 10. pag. 413.

proximo revertantur h). Magnam vero fuiffe FRIDERICO in exfequendo hoc mandato feveritatem, patet ex literis juftitiario Terrae Laboris datis, qui interdictis particularibus ftudiis per vniverfum regnum artis Grammaticae prima rudimenta quoque comprehenfa putaverat, ideoque non permiferat, vt pueris grammatica doceretur. Mandavit vero FRIDERICVS in his literis, vt nulla moleftia inferretur grammaticae artis primitias docentibus i).

Theologos montis Cafinenfis monafterium nec non ordo Sti DOMINICI et FRANCISCI ftudiorum vniverfitati Neapolitanae dabat. His vero monachis anno MCCXL, ob turbas, quas concitaverunt, regno expulfis, Neapolitana ftudiorum vniverfitas ERASMVM, Cafinenfem monachum, rogabat, vt vicibus eorum, qui deceflerant, fungeretur. Literae, quae noftris adhuc temporibus in monafterio Cafinenfi fervantur, infcriptionem hanc habent; *Honoratiffimo et peritiffimo viro, magiftro Herafmo, monacho Cafinenfi, theologicae fcientiae profeffori, vniverfitas doctorum et fcholarium Neapolitani ftudii falutem et optatae felicitatis augmentum* k).

Profefforibus etiam medicinae conftitutis, Neapolitanum ftudium brevi tanta fama floruit, quanta Salernitanorum medicorum collegium dudum floruerat. Mandatum FRIDERICI, quo ftatuebatur, vt in vniverfo regno fcientiae feveriores non docerentur, nifi

h) Libr. III. epift. 11. pag. 415.

i) Libr. III. epift. 13. pag. 419.

k) *Abbat. de* Nuçe not. in prolog. Libr. IV. chronic. Cafinenf. *Giannone*, Tom. II. pag. 429.

nisi in Neapolitana studiorum vniversitate, Salernitanos non attigit, qui potius post conditum hoc vniversale studium, immunitatem, quam antea habuerant, retinuerunt, medicinae practicae candidatis post justa examina, collegiique approbationem, medicinae exercendae licentiam in regnis FRIDERICI imperio subditis concedendi. Hoc vero privilegio, quod postea copiosius intelligetur, Neapolitani medici non gavisi sunt, neque nostris adhuc temporibus gaudent. Neapolitanis enim candidatis post medicorum examina literae ad officialem regis dantur. Novo nunc instituto per hunc examine, literisque ab eo ad Regem, aut ad regis vicarium datis, doctoris dignitatem non a medicorum Neapolitanorum collegio, sed a rege, aut a regni supremo cancellario, adipiscuntur. l)

Constitutionum Sicularum, et regnorum, quae in Italia FRIDERICI imperio parebant, omnium, jam ante eum inprimis a ROGERIO et GVILIELMO promulgatarum et a se ipso datarum collectionem FRIDERICVS PETRO DE VINEIS, cancellario suo, mandaverat. Has, tribus libris comprehensas, anno MCCXXXI imperator promulgavit, ita vt constitutiones, quae sequentibus temporibus dabantur, novarum constitutionum titulo emitterentur m). Suas vero constitutiones FRIDERICVS ab eo inde tempore dederat, quo imperium Neapolitanum adeptus fuerat. In his constitutionibus quaedam sunt, quae ad medicinam proprie pertinent, non quidem, vt CONRINGIVS n) vult, de arte

 do-

l) *Giannone*, Tom. II. pag. 430.
m) *Giannone*, Tom. II. pag. 458 seq.
n) antiq. acad. diss. III. §. 22.

docenda et facienda omnium antiquiſſimae, antiquiorem enim legem Rogerivs dederat, verum tamen auctore ſuo et ſchola Salernitana medica plane dignae, imo digniſſimae, quae in omnem poſteritatem commendentur, ideoque etiam memorabiles, quoniam dignitatum ſupremarum, his dari ſolitarum, qui ſcientias ſtudioſe coluerunt, prima veſtigia continent, ſimulque ad antiquiſſima politiae medicae monumenta pertinent. Has ex Pavli Canciani *barbarorum legibus antiquis* o 1) deſcriptas, ſubjuncto commentario noſtro, hic dabimus.

Praemiſſis titulo; *de probabili experientia medicorum* et Rogerii lege, quam ſupra ex eodem opere dedimus, hae conſtitutiones ſequuntur:

II. Imperator Fridericvs.

Vtilitati ſpeciali proſpicimus, cum communi ſaluti fidelium providemus. Attendentes igitur grave diſpendium et irrecuperabile damnum, quod poſſet contingere ex imperitia medicorum, jubemus in poſterum nullum medici titulum praetendentem audere practicari aliter, vel mederi, niſi Salerni primitus et in conventu publico magiſtrorum judicio comprobatus, cum teſtimonialibus literis de fide et ſufficienti ſcientia, tam magiſtrorum, quam ordinatorum noſtrorum, ad praeſentiam noſtram, vel, nobis a regno abſentibus, ad illius praeſentiam, qui vice noſtra in regno remanſerit, ordinatus accedat et a nobis, vel ab eo medendi licentiam conſequatur; poena publicationis bonorum et annalis carceris imminente his, qui contra hujus-

o 1) in conſtitutionum Neapolitanorum, ſive Sicularum Libr. III. titulo 34. Tom. I. pag. 367. 368.

hujusmodi nostrae serenitatis edictum in posterum ausi fuerint practicare.

III. *Idem.*

Quia nunquam sciri potest scientia medicinae, nisi de scientia logicali praescribatur, statuimus, quod nullus studeat in medicinali scientia, nisi prius studeat ad minus triennio in scientia logicali: post triennium, si voluerit, ad studium medicinae procedat: ita quod chirurgiam, quae est pars medicinae, infra praedictum tempus addiscat. Post quod, et non ante, concedatur sibi licentia practicandi, examinatione, juxta curiae formam, praehabita, et nihilominus recepto pro eo de praedicto tempore studii testimonio magistrati. Iste medicus jurabit servare formam curiae, hactenus observatam, eo adjecto, quod si pervenerit ad notitiam suam, quod aliquis confectionarius minus bene conficiat, curiae denunciabit; et quod pauperibus consilium gratis dabit. Iste medicus visitabit aegrotos suos ad minus bis in die, ad requisitionem infirmi semel nocte: a quo non recipiet per diem, si pro eo non egrediatur civitatem vel castrum, vltra dimidium tarrenum auri. Ab infirmo autem, quem extra civitatem visitat, non recipiet per diem vltra tres tarrenos, cum expensis infirmi, vel vltra quatuor tarrenos, cum expensis suis. Non contrahet societatem cum confectionariis, nec recipiat aliquem sub cura sua ad expensas suas pro certa pretii quantitate: nec ipse etiam habebit propriam stationem. Confectionarii vero facient confectionem expensis suis, cum testimonio medicorum, juxta formam constitutionis: nec admittentur ad hoc, vt teneant confectiones, nisi praestito juramento, quod omnes confectiones suas secundum praedictam formam facient sine fraude. Lucrabitur autem stationarius

rius de confectionibus suis secundum istum modum: de confectionibus et simplicibus medicinis, quae non teneri consueverunt vltra annum, a tempore emptionis, pro qualibet vncia poterit et licebit tres tarrenos lucrari. De aliis vero, quae ex natura medicaminum, vel ex alia causa, vltra annum in apotheca tenentur, pro qualibet vncia licebit lucrari tres tarrenos. Nec stationes hujusmodi erunt vbique, sed in certis civitatibus per regnum, vt inferius describitur. Nec tamen post completum quinquennium practicabit, nisi per annum integrum cum consilio experti medici practicetur. Magistri vero infra istud quinquennium libros authenticos, tam Hippocraticos, quam Galeni, in scholis doceant, tam in theorica, quam in practica medicinae. Salubri etiam constitutione sancimus, vt nullus chirurgicus ad practicum admittatur, nisi testimoniales literas offerat magistrorum, in medicinali facultate legentium, quod per annum saltim in ea medicinae parte studuerit, quae chirurgiae instruit facultatem; et praesertim anatomiam humanorum corporum in scholis didicerit, et sit in ea parte medicinae perfectus, sine qua nec incisiones salubriter fieri poterunt, nec factae curari.

IV. *Idem.*

In terra qualibet, regni nostri nostrae jurisdictioni subjecta, duos viros circumspectos et fide dignos volumus ordinari, et corporali per eos praestito sacramento teneri, quorum nomina ad curiam nostram mittentur, sub quorum testificatione electuaria et syrupi, ac aliae medicinae legaliter fiant et sic factae vendantur. Salerni maxime per magistros in physica hoc volumus approbari. Praesenti etiam lege statuimus, vt nullus in medicina vel chirurgia nisi apud Salernum vel Neapolim legat in regno, nec magi-

magistri nomen assumat, nisi diligenter examinatus in praesentia nostrorum officialium et magistrorum artis ejusdem. Conficientes etiam medicinas sacramento corporaliter praestito volumus obligari, vt ipsas fideliter juxta artes et hominum qualitates in praesentia juratorum conficiant; quod si contra fecerint, publicatione bonorum suorum mobilium sententionaliter condemnentur. Ordinati vero, quorum fidei praedicta sunt commissa, si fraudem in credito ipsis officio commisisse probentur, vltimo supplicio feriendos esse censemus.

Hae leges primum exemplum rerum medicinalium publica et legali auctoritate instructarum exhibent. Non enim tantum, quod ROGERIVS fecerat, in iis in medicos arti suae exercendae impares animadvertitur, verum quae ad medicos, medicamentorum confectores atque chirurgos pertinent, in iis continentur, et quidem non solum praecepta, quomodo hae scientiae docendae et discendae sint, verum etiam qua ratione ipsas hasce scientias artesque exercere conveniat.

Medicinae studia quod attinet, prius quam ad medicinam accederet tyro, logicae per triennium studere debebat, quo exacto ad medicinae studia procedebatur. Quinquennio in medicinae studio exacto, ad praxin ipsam non admittebantur, nisi qui per annum integrum cum consilio experti medici practicassent. Quibus omnibus factis praxeos licentia non dabatur, nisi in conventu publico aut Salernitanorum, aut Neapolitanorum medicorum post severiora examina comprobato. Salerni ad praxeos licentiam, praeter haec examina, quibus ordinatus a rege interfuisse videtur, nihil amplius requirebatur, neque hodie ad

doctoris dignitatem obtinendam a medicorum collegio Salernitano quidquam amplius requiritur. Salernitanis enim antiquitus et ante conditam Neapolitanam ſtudiorum vniverſitatem facultas erat et praxeos licentiae dandae et magiſtrorum in medicina conſtituendorum. Apud Neapolitanos vero, peracto examine, literae a medicis ad ordinatum regis dabantur, iisque regi, aut ejus vicario traditis, magiſtri in medicina dignitas et medicinae exercendae facultas ab ipſo rege, ejusve vicario, impetrabatur. Quae conſuetudo, ab aliarum academiarum more recedens, noſtris adhuc temporibus in Neapolitana ſtudiorum academia obſervari ſolet.

Poſt haec examina juramento novus adſtringebatur medicus. Poſt HIPPOCRATIS tempora, qui diſcipulos ſuos jurejurando adſtrictos eſſe volebat, prima in hac lege jurisjurandi a medicis praeſtandi veſtigia occurrunt. Eoque praeſtito promittere debebat medicus practicus futurus:

I. Se formam curiae hactenus obſervatam ſervaturum, ſcilicet leges in medicinalibus rebus datas, neque auctoritati a rege ordinatorum, regiaeque in approbandis medicis practicis aliquid derogaturum.

II. Se denunciaturum, ſi aliquis confectionarius medicamenta ſua minus bene confecerit. Quod vt facilius intelligatur, monendum eſt, medicos his temporibus medicamentis vtplurimum ſummopere compoſitis, ſubinde valde pretioſis eſſe vſos, putaſſeque vim et efficaciam ſuorum medicamen-

camentorum vix per longum tempus eadem virtute perseveratur. Hinc a Plateario quoque atque Aegidio Corboliensi diligenter semper notatum est, quaenam medicamenta diu, quae minus diu vim suam retineant. Hinc etiam Fridericvs in tertia lege praecepit, vt stationarii de confectionibus minus diu efficaciam suam retinentibus minus, de aliis vero, pertinaciorem efficaciam habentibus, plus lucrarentur.

III. Se pauperibus consilium gratis daturum. Quod et humanitati respondet admodum, et ab Hippocrate jam praeceptum erat.

Haec vero praecepta, collata cum consuetudinibus ritibusque, qui in doctoribus creandis in academiis observari solent, demonstrant ritus doctores creandi, partemque saltim privilegiorum, quibus doctores gaudent, e Salernitana schola atque Neapolitana studiorum vniversitate ad nostra vsque tempora profluxisse. Et doctoris titulum Friderici temporibus hoc sensu, quo apud nos valet, non vsitatum, his promiscue cum magistri titulo datum esse, qui medicinam docebant, magistrorum vero nomine etiam hos, et primum forsan quidem Friderici temporibus ornari coepisse, qui medicinam didicerant et superatis examinibus doctrinam suam probaverant, eodem modo, quo opifices, post artis suae specimina data, et examina superata, magistrorum titulum obtinent. In quarta enim lege Friderici haec duo distinguntur optime: *in medicina legere, et magistri titulum assumere.* Magistros his temporibus itaque non omnes legentes docen-

docentesve fuisse, sed viros, qui speciminibus editis probaverant, se in scientia sua esse versatos, certum est. o 2) Doctoris titulus apud AEGIDIVM occurrit, et eodem quidem sensu, quo nos professores intelligimus. Hunc, cum magistri titulus vulgatior fiebat, vere docentes scientias sibi vindicabant. Postea, quum post examina superata et doctrinae specimina data liberum cuique erat scientiam, quovis vellet modo, exercere, doctores vero fama magis, quam practici, eminerent, doctoris titulus, et non quidem prius, quam saeculo XIV, in magistri locum sensim successit, hoc praesertim argumento, quod post specimina doctrinae exhibita, scientiam quovis modo, adeoque etiam docendo exercere liberum cuique esset. Hinc etiam (quod sane manifeste probat, doctoris munus initio in docendo constitisse) princeps inter privilegia doctorum hoc est, vt hac dignitate ornatis scientiam suam, vbicunque velint, docere liceat.

Neque Salernitani doctoris titulum docentibus primum dederunt. Qui alios docebat, doctor longe antiquioribus temporibus vocabatur, indeque in antiquis inscriptionibus *Doctores librarii*, *Doctores sagittarum*, *Doctores factionum et agitatores* non raro occurrunt. p) Sed hoc sensu, quod nostris temporibus sumi-

o 2) Prima sane in hac constitutione magistrorum non docentium vestigia occurrunt. Nec antiquiora, imo non alia, nisi *Friderici* cujus constitutiones ignorabat, his temporibus recentiora exquirere potuit *Heumannus*, vir quondam doctissimus, in tractatu *de magistri philosophiae titulo*, qui legitur in *act. philosoph.* part. 16. pag. 594. §. 12.

p) *Muratorii* diss. ad antiq. Ital. XLIII. pag. 850, 851.

fumitur, Doctoris titulus ante faeculum XIV. non valuit: iique, qui literas docebant, et doctoris et magistri titulo promiscue vtebantur. Talesque doctores Bononiensis schola, aliaeque habuere. q) Sed quod attentionem nostram vtique meretur, apud Salernitanos et Neapolitanos doctoris quidem titulus desiderabatur, omnia vero, quae nostris temporibus fieri solent, in medicinali saltim studio, vt doctoris dignitatem aliquis adsequatur, peragebantur.

Valentissimum vero argumentum, quo probari potest, doctoris titulum et privilegia in Salernitana schola et Neapolitana studiorum vniversitate primas suas origines habuisse, hoc est, quod nostris adhuc temporibus apud Salernitanos et Neapolitanos ad doctoris dignitatem nihil amplius requiratur, quam quod Friderici Secvndi temporibus candidatis praestandum erat.

Doctorum origines in occidente a Salernitanis et Neapolitanis esse repetendas iisque medicinale studium Salernitanum et Neapolitanum primam occasionem dedisse, ex dictis perspicitur. Sunt quidem, qui reflorescente in Occidente juris scientia, primos in hac scientia doctores fuisse putent, deinde, canonici juris studio diligentius tractato, hoc etiam doctores suos habuisse, deinde ad theologiae scientiam eandem dignitatem pervenisse. Quod non negari potest, si sub doctoris titulo is intelligitur, qui docet: si vero cum hoc titulo dignitatem quandam atque immunitates easdem paene jungimus, quas nostris temporibus docto-

q) *Muratorii* diss. XLIII. pag. 910.

doctores habent, si adeo de doctoribus academicis in qualibet facultate sermo valet, eorumque privilegiis, horum praeter ea in Salernitano et Neapolitano studio, antiquiora exempla non occurrunt. Nec FRIDERICI SECVNDI temporibus, qui jus docebant, doctores, verum communi omnibus docentibus nomine magistri appellabantur. Magni fecisse FRIDERICVM ROBERTVM DE VARANO et PETRVM DE HIBERNIA, civilis scientiae primos in studio Neapolitano professores, supra jam relatum est. Hos ipse FRIDERICVS *viros magnae scientiae, notae virtutis et fidelis experientiae* vocabat, de iisque fiduciam pleniorem gerebat. r) Et tamen vtrosque non doctores, quem titulum iis certe dedisset, si notus aut vulgatus fuisset suis temporibus, sed magistros vocat: in eadem vero epistola doctores memorat, his verbis: *Inprimis quod in civitate praedicta doctores et magistri erunt in qualibet facultate.* Temporibus itaque imperatoris, ex cujus institutis academicis doctorum dignitas, et in medicina quidem primum, nata est, scientiae, praeter docentes, doctores non habebant.

Si vero juramentum, cui doctores medici nostris temporibus adstringuntur, cum eo confero, quod FRIDERICVS praecepit, differre quidem vtraque video, inducor vero ad credendum, juramentum, nostris temporibus vsitatum, vna cum consuetudine candidatorum antea examinandorum atque approbandorum, ex eo, quod FRIDERICVS praeceperat, natum esse. Ipsum adeo juramentum, cui nostris adhuc temporibus candi-

r) *Petr. de Vineis* Libr. III, epist. 11.

candidati penes Salernitanos adstringuntur, idem esse videtur, quod FRIDERICVS praeceperat. ANTONIO enim MAZZA auctore, *qui doctoratus laureola insigniendus est, per fides ac testes legitima natalia probare tenetur, aetatem non minorem vigesimi primi anni, publici studii in medicina septennium, juxta regias sanctiones: acri perpenditur examine: publice explanare tenetur puncta medicinalia, aut in libris Tegni Gal. vel p. ae seu primi Avicennae, vel in libr. aphorism. In artibus autem in lib. phys. aut in lib. poster. analytic.* (*ex capitul. Alm. Colleg.*) *multisque juramentis adstringitur, antequam doctoratus insignia a Priore, vel ab alio, qui Priori placuerit, illi conferantur. Ex dictis capitulis et sunt, ne almo collegio contradicat, falsa et mendacia non doceat*, a pauperibus nec oblatam mercedem recipiat, *suis languentibus poenitentiae sacramentum mandet*, cum aromatariis nullam inhonestam habeat sortem, *utero gerentibus ne abortivum exhibeat pharmacum, nec humanis corporibus venenosum medicamentum. Insignia postmodum ei tribuuntur, liber nempe clausus, mox apertus, authoritas ei conceditur, vt vbique locorum ac per vniversum terrarum orbem philosophi et medici munus possit exercere, annulari digito annulus aureus imponitur, caput laurea coronatur corona, osculoque amplectitur, ac demum paterna benedictione doctoratus dimittitur.* s)

Notandum in hac lege etiam est, medicinam his temporibus non secundum Saracenorum placita, sed secundum HIPPOCRATIS atque GALENI praecepta esse traditam librosque *authenticos* vtrorumque medicorum in

s) A. *Mazza* cap. IX. pag. 68, 69.

in ſcholis eſſe lectos atque explicatos: Saracenorum hinc medicinam ineunte ſaeculo XIII. tantum nondum invaluiſſe, quantum ſaeculo XIV. et ſequentibus, et confirmari inde opinionem, quam ſupra protulimus, penes Salernitanos Saracenorum medicinam non tanti eſſe aeſtimatam, quanti Hippocraticam atque Galenicam.

Notatu digniſſima ſunt, quae circa confectionarios, apothecas atque ſtationarios in hac conſtitutione proferuntur, qualis enim haec rerum medicinalium pars his temporibus fuerit, optime illuſtrant. Societatem cum confectionariis medico contrahere non licebat, neque aliquem in curam, conducto prius ſoſtro, recipere, ne ſcilicet aut negligeretur aeger, aut minus efficacia medicamenta praeſcriberentur: diſtincti itaque erant confectionarii a medicis, his medicinas praecipientibus, illis vero eas praeparantibus. Medicarum teſtimonium ad confectiones neceſſarium erat, juxta conſtitutionis formam: diſpenſatorium proſtabat, in quo confectiones praeſcriptae erant, earumque conficiendarum modi, juramentoque tenebantur confectionarii, vt omnes confectiones ſuas ſecundum praeſcriptam formam facerent ſine fraude. Diſtincti a confectionariis *ſtationarii* erant, qui medicinas a confectionariis praeparatas in apothecis, ſive ſtationibus, vendebant. Medico *ſtationem* t) ſive apothecam, qua medicamenta vendebantur, propriam habere non licebat, neque omnes regni vrbes, ſed certae tantum, quarum vero nomina deſiderantur, ſtati-

t) *Du Cange* gloſſar. lat. med. et infim. Tom. II. p. 951.

stationes suas, sive apothecas habebant, quae medicamenta sua aut a Neapolitanis, aut a Salernitanis confectionariis accipiebant.

Quarta lege, quae priore paulo serius data est, et post restauratam scholam Neapolitanam ibique instauratum vniversale studium, (in priore enim tantum Salernitani, in hac vero etiam Neapolitani mentio facta est,) in qualibet terra FRIDERICI imperio subdita duo viri circumspecti et fide digni ordinantur, sub quorum testimonio confectiones medicae, electuaria praesertim et syrupi, legaliter fierent, ad has enim confectiones saccharo opus erat, in cujus locum, quoniam maximi his temporibus pretii erat, confectionarii mel eligebant, cui vero nocivae qualitates tribuebantur. u) Hinc electuaria et Syrupos, praeparationes scilicet saepissime male fieri solitas, haec lex inprimis nominabat. Salernitanae confectiones per magistros in physica ibi degentes approbari debebant.

Tandem etiam chirurgiae prospexit optimus imperator, statuens, vt nullus chirurgus ad praxin artis suae admitteretur, nisi per annum saltim in ea medicinae parte studuisset, quae medicinae instruit facultatem et praesertim humanorum corporum anatomen didicerit, sine qua nec incisiones salubriter fieri possint nec factae (fracta CONRINGIVS legit, nec male x) curari. Chirurgo ad praxin admitti volenti testimonia magistrorum in medicinali facultate legentium afferenda erant.

Saler-

u) *Aegid. Corboliens.* Libr. II. v. 898.

x) antiq. academ. diss. III. pag. 105.

Salernitanum medicinae studium in his FRIDERICI SECVNDI constitutionibus, et in tertia quidem lege solum, in quarta vero vna cum Neapolitano, insigne privilegium obtinuit, vt nulli in vniverso regno medicinam exercere liceret, nisi ei, qui illam in his scholis didicisset. Hoc privilegium per vniversam quoque Germaniam valuisse, quidam adserunt. Medici hinc a Salernitano collegio examinati et juramento adstricti absque alio examine vbique mederi poterant, imo medicis in quacunque schola alia examinatis medicinam exercere non licebat, nisi, juxta alteram legem FRIDERICI, a Salernitano collegio essent approbati. Eoque jure Salernitani medici Neapolitanos antecellebant, tanquam primi a FRIDERICO vocati. Caussam antiquus commentator in FRIDERICI constitutiones enarrat his verbis: *Medici Salernitani occupaverunt sibi magnam famam, nam ipsi multa scripserunt in medicinis in diversis partibus mundi, vt patet in libro de regimine sanitatis per medicos Salernitanos ad regem Angliae, et non sic scripserunt medici Neapolitani*, &c. y)

Privilegia scholae medicae Salernitanae hactenus enarrata reges Neapolitani sequentibus temporibus auxerunt atque confirmarunt. Studium Neapolitanum rex ROBERTVS, ineunte saeculo XIV, reformavit, *simulque omnes scholas vbilibet infra regnum* interdixit, expresse tamen declaravit, minime studia civitatis Salerni his comprehendi. *Excepto*, inquit, *studio medicinae, quod inibi exerceri consuetudo diuturna testatur: hoc enim, et juris scripti sanctio* (constitutiones nempe FRI-

y) Apud. *Ant. Mazzam*, cap. IX. pag. 70, B.

Friderici II.) *admonet, et ipsorum regum traditio constitutionis inducit vsque quaque tenaciter observari.* z) Joannes Antonivs de Nigris in enarratione hujus capituli haec habet: *Hoc tamen fallit in studio medicinae civitatis Salerni, quia ibi est antiquissimum studium in medicina, et semper in eo floruit studium in vtraque jure, et non est memoria in contrarium, ita quod habet vim constituti. — Et in civitate Salerni similiter ex inveterata consuetudine jura docentur, et florent in medicina et in medicina possunt ibi doctorari: non autem doctorari possunt in jure civili et canonico.* a)

Jus civile et canonicum apud Salernitanos suos professores habuisse, collegium vero juris consultorum privilegia tanta non habuisse, qnam medicorum collegium, ex hoc loco patet. Antiqua etiam inscriptio in majore basilica exclesia Salernitana, in qua corpus Matthaei Evangelistae colitur, docet, professores juris civilis Salerni exeunte saeculo XIII. et ineunte XIV. floruisse. Inscriptio haec est: *Hic jacet Dominus Jacobus Caput Grassus de Salerno, juris civilis professor, Regius consiliarius et familiaris ac curiae vicariae regni judex. Obiit anno Domini* MCCCXL. b) Lauream doctoris candidatis dare juris consultis Salernitanis cum non licebat, eam ob causam apud regem Philippvm III. institerunt, vt legalis facultatis collegium constitueretur. Precibus etiam annuit rex; verum deinde,

z) Ex archivio Reg. Sicil. lit. A. fol. 64. hunc locum excerpsit *Ant. Mazza* cap. IX. p. 64, A.

a) Locum dedit *Ant. Mazza* cap. IX. p. 64, B.

b) *Mazza* cap. VI. pag. 25, 26.

de, ANTONIO MAZZA c) notante, *in statum amplius non fuit.*

Anno MCCCLXV JOANNA Regina Salernitanis privilegia a FRIDERICO data confirmavit his verbis: *Quod magistri medicinalis scientiae civitatis Salerni habent ex privilegio et consuetudine, quod ipsi medici sive physici eorundem magistrorum testimonio, testimonialibus ipsorum magistrorum literis comprobatis in scientia supradicta, absque alia licentia possint practicari libere in dicta scientia medicinali.* d)

Liberos vero fuisse per consuetudinem diu observatam Salernitanos doctores eorumque alumnos ab omnibus tributis oneribusque, et personalibus privilegiis esse gavisos quam plurimis, partim ex Neapolitanae studiorum vniversitatis institutis, FRIDERICVM II. auctorem habentibus, qui Neapolitanis doctoribus et alumnis easdem immunitates dederat, neque voluit, vt Salernitanum studium Neapolitano esset inferius, partim autem ex privilegio LADISLAI Regis patet, anno MCCCCXIII. dato, in quo haec proponuntur: *Licet per antiqua privilegia divorum praedecessorum nostrorum Regum Siciliae et antiquatam consuetudinem diutius observatam, in cujus possessione fuerunt et nunc persistunt omnes physici civitatis Salerni, sint, et debeant esse liberi, franchi et immunes ab omnibus et singulis solutionibus*, etc. et infra: *juxta consuetudinem supradictam ipsasque immunitates, franchitias, libertates et exemptio-*

c) *Mazza* cap. IX. pag. 64, C.

d) Ex originali instrumento, quod in archivio collegii Salernitani asservatur, hunc locum edidit *Ant. Mazza*, cap. IX, pag. 64, E.

emptiones, de quibus plenarie constat nobis, juxta ipsorum privilegiorum antiquorum seriem: in abundantioris cautelae suffragium, quae prodesse et non officere consuevit, tenore praesentium de certa scientia confirmamus, ratificamus et approbamus, subdens, et ex eorum exquisita peritia causatur medicorum copia et nostris fidelibus multa sequuntur commoda e 1).

Non vero laudem studio medico Salernitano defuisse his temporibus, neque doctos et probatae experientiae medicos, plurima testimonia virorum clarissimorum, his temporibus viventium, probant. Sic Angelicus Doctor, S. THOMAS DE AQVINO, anno MCCXXIV natus, Salernitanam vrbem inter celeberrimas Europae refert, his verbis: *Quatuor sunt vrbes caeteris praeeminentes, Parisius in scientiis, Salernum in medicinis, Bononia in legibus, Aurelianis in actoribus* e 2). Eximius poeta, FRANCISCVS PETRARCA in itinerario suo anni MCCCXXX *Salernum medicinae fontem appellat, ac gymnasium nobilissimum, vbi feliciter literarum omnium disciplina consistit* f) Medicos vero Salernitanos his temporibus priscam experientiae famam retinuisse, locus nobilis in vita S. BERNARDI, abbatis

 Cla-

e 1) ex privilegio, quod in archivio collegii Salernitani servatur, hunc locum edidit *Ant. Mazza*, cap. IX. pag. 64. 65.

e 2) Libr. de virtut. et vit. cap. vlt. *Mazza*, pag. 65. cap. IX. Et hunc locum quidem S. *Thomas* ex *Galfridi* poetria excerpsit, qui versu 1009 ita canit:

In morbis sanat medici virtute Salernum,
Aegros, in causis Bononia legibus armat
Nudos: Parisius dispensat in artibus illos
Panes, unde cibat robustos: Aurelianis
Educat in cunis auctorum lacte tenellos.

f) *Mazza*, cap. IX, pag. 65.

Clarae vallensis, qui anno MXCI natus annoque MCLIII, fato functus est, demonstrat. GVILIELMO enim, abbate de Sancto Theodoro narrante g) *Bernardus, sanctus vir, in vrbe Salernitana, nobilissimis succumbentibus medicis, quorum ibi praecipue ars viget et studium, in curationibus efficax, Salernum advenit, viroque cuidam nobili, auxilio desperato, aquam de lavacro manuum ejus dedit, qua epota nobilis vir convaluit.*

III. Expositis hactenus quae ad studii medici Salernitani historiam pertinent, reliquum est, vt quale recentioribus temporibus fuerit nostrisque sit, exponamus doctosque medicos Salernitanos, qui ad saeculum vsque XV floruerunt, enarremus, ad recentiora enim tempora ob operis temporisque angustiam progredi non licet. De ipso studii Salernitani statu anno MDCLXXXI recentissimus scriptor, ANTONIVS MAZZA haec habet h): *Almum collegium tantum ex decem doctoribus, non vltra, componitur: vno illorum praemortuo, alius in gradu antiquior succedit. Prior autem est ille, qui antiquior est, ac in collegio antiquiore mortuo, in prioratus officio vsque ad finem vitae permanet. In privilegii titulo prioris dumtaxat nomen et cognomen inscribitur, cum ejusdem almi collegii pendente sigillo, in quo gloriosissimi patroni, apostoli et evangelistae Matthaei cernitur effigies, (quae adhuc est civitatis stemma) super septem fascias rubei et albi coloris sedentis.*

Medicos autem Salernitanos, qui vsque ad Saeculi XV initia floruerunt, antequam enarrem, monen-

g) in vita S. *Bernard.* Libr. II. cap. 7.
h) vrb. Salern. histor. cap. IX. pag. 68. E.

nendum est, CONSTANTINI AFRICANI libros et NICOLAI et JOANNIS PLATEARII opera tanta floruisse laude, vt non solum vbique legerentur, verum etiam commentariis amplissimis illustrarentur. Eoque modo Salernitanorum medicorum doctrina per vniversam fere Europam pervulgata est. In NICOLAI antidotarium, praeter JOANNEM PLATEARIVM, et qui hunc exposuit, AEGIDIVM CORBOLIENSEM, JOANNES de S. AMANDO, Tornacensis ecclesiae canonicus, commentatus est i). VITALIS DE FVRNO, cardinalis et archiater, qui ineunte saeculo XIV vixit, in libro pro conservanda sanitate CONSTANTINVM et PLATEARIVM excerpsit k), vt alios horum temporum medicamentorum scriptores omittam, qui fere omnes CONSTANTINVM NICOLAVM atque PLATEARIVM, medicos his temporibus celeberrimos, sequuti sunt. In chirurgica etiam arte scholam Salernitanam his temporibus vehementer inclaruisse certum est. Princeps inter horum temporum chirurgos ROGERIVS fuit, Salernitanus teste GVIDONE DE CAVLIACO, deinde vniversitatis Monspeliensis procancellarius, in cujus chirurgiam aliquoties editam quatuor magistrorum Salerni commentarii prostant l), typis hactenus non excussi. Saeculo XIII Bruno vixit Longoburgensis Calaber, qui chirurgiam in Salernitano studio didicerat, cujusque chirurgicum opus adhuc extat. Eorumque virorum chirurgica opera alii, quos HALLERVS m) ex parte citat, exscripsere, eoque modo Salerni-

i) *Haller* bibl. botan. Tom. I. pag. 224.

k) *Haller* bibl. botan. Tom. I. pag. 229.

l) *Haller* bibl. chirurg. Tom. I. pag. 145. *Conring.* antiq. acad. diss. III. pag. 105.

m) biblioth. chirurg. Tom. I. pag. 14 seq.

nitanorum medicorum doctrinam de rebus ad chirurgiam pertinentibus vulgatiorem effecere.

Agmen autem inter medicos Salernitanos horum temporum ducat JOANNES DE PROCIDA, Salernitanus Patricius, Dominus inſulae Procidae, MANFEREDI, Siculorum Regis ſocius, familiaris et medicus, famoſae veſperae Siculae famoſus auctor. Eo enim praeeunte, habitoque cum magnatibus baronibusque Siciliae conſilio, die XXX menſis Martii, anno MCCLXXXII Galli omnes per totam inſulam degentes ad numerum LX millium trucidati ſunt. n) Medicinalem librum ſcripſit titulo: *vtiliſſima practica medica.* Ex eadem Stirpe ROGERIVS DE PROCIDA ortus eſt, cum ROGERIO, chirurgici operis auctore, quem ſupra memoravimus, non confundendus o)

MATTHAEVS SILVATICVS, Mantuanus, qui ſe ipſum anno MCCXCVII Salerni verſatum eſſe teſtatur p), exeunte ſaeculo XIII vaſtum opus medicinale, neque ad intelligendos Graecos atque Arabes plane inutile, (quod tamen vtilius fuiſſet, ſi Arabica et Graeca melius intellexiſſet auctor,) in lexici formam compoſitum, *pandectarum medicinae* titulo inſcriptum, et ROBERTO, Siciliae Regi dicatum, conſcripſit, quod ſaepiſſime typis exſcriptum et a SIMONE GENVENSI et a DOMINICO MARTINI DE SOSPITELLA annotationibus auctum eſt. q) Obiiſſe auctorem anno MCCCXLII ANT. MAZZA r) docet:

n) *Mazza*, cap. VI. pag. 22.
o) *Mazza*, cap. IX. pag. 62.
p) pandect. medic. ſub voce *bruchus*.
q) *Fabric.* biblioth. med. et infim. latin. Tom. V. pag. 157.
r) cap. IX. pag. 81.

cet: scriptorem vero saeculi XIII fuisse, HALLERVS s), refert.

JOANN. NICOLAVS DE ROGERIIS, ROGERIVS a MERKLINO t) dictus, Venetus, Salerni medicinam didicerat, hinc ab ANTONIO MAZZA pro Salernitano habitus u), sub HENRICO VI, imperatore, adeoque ineunte saeculo XIII, floruit. Clarus fuit suo tempore philosophus et medicus, cujus plurima scripta extant *de primatu praedicamentorum, expositio trium tractatuum Averrois in logica magna; de termini definitione; particularium sit, an vniversalium definitio; de medio demonstrationis; solutionum contradictionum in medica facultate libros*, et *commentaria in libros Galeni de ratione curandi per sanguinis missionem*, quae etiam Venetiis, anno MDXCVII typis excussa sunt. Edidit etiam *quaesitum difficillimum accurate explicatum de sede animae membrorumque principatu ex Galeni Hippocratisque placitis adversus philosophos*, Neapoli, anno MDLXXIV editum.

Ex Rogeriorum familia fuere JOANNES VINCENTIVS et JOANNES VITVS DE ROGERIIS, vtrique medici Salernitani, scriptis libris celebres. VINCENTIVS *de sede animae et de concursu vel activo, vel passivo mulieris ad prolem*, VITVS vero *de sede animae et* de introductione foetus libros scripsit x).

FRANCISCVS ALPHANVS de Salerno. Prostat ejus opus *de peste, febre pestilentiali et febre maligna, nec non de variolis et morbillis quatenus nondum pestilentes*

F 5 *sunt,*

s) biblioth. botan. Tom. I. pag. 220.

t) Linden. renovat. pag. 651.

u) cap. IX. pag. 60.

x) *Mazza*, cap. IX. pag. 61.

ſunt, Neapoli MDLXXVII et poſtea aliquoties editum y). Tempus quo hic ALPHANVS, quem Alphanium MERKLINVS vocat, vixerit, ignoratur. An forte idem cum ALPHANO SECVNDO, Salernitano archiepiſcopo, quem ſupra citavi? Vix putaverim, ob titulum libri, recentiora tempora redolentem, etſi librum medicinalem ALPHANVS archiepiſcopus ſcripſit *de quatuor humoribus corporis humani.* Neque inter libros ALPHANI I. et II. FABRICIVS z) hunc citat, cujus titulum dedimus.

BENVENVTVS GRAFFIO, ſive GRAPHAEVS DE HYERVSALEM, Salernitanus medicus, quem ſupra memoravi. Ejus *ars probata de aegritudinis oculorum* Venetiis MCCCCXCVII fol. in lucem prodiit.

ARNALDVS DE VILLA NOVA ob plurima ſcripta inſignis, inprimis autem ob praeclaros ſuos commentarios, quibus ſcholae Salernitanae de conſervanda bona valetudine praecepta illuſtravit. Eum poſtea enarrabimus, carminis Salernitani hiſtoriam enarrantes.

LANFRANCVS etiam hic memorandus eſt, chirurgorum ſui temporis princeps, excitati, quem HALLERVS a) vocat, ingenii homo, cui Gallorum chirurgia debetur. Mediolanenſis erat clericusque, Salerni vero medicinam atque chirurgiam didicerat. Reverſus in patriam Arabum ſcripta legit, ex parte in latinam convertit, ex iisque *practicam ſuam*, *quae dicitur ars completa totius chirurgiae* compoſuit. Ex patria cum con-

y) *Merklin* Linden. renovat. p. 279.

z) bibliothec. ſcriptor. mediae et infimae latinitat. Tom. I. pag. 187.

a) bibliothec. chirurg. Tom. I. pag. 149.

conjuge liberisque pulsus, Parisium anno MCCXCV adiit. In facultatem medicorum cum peregrinus, et in conjugio vivens recipi non posset, cum JOANNE PITARDO, LVDOVICI SANCTI et PHILIPPI PVLCHRI chirurgo, fraternitatem formavit, COSMAM et DAMIANVM patronos habentem, pauperumque valetudinem gratis curantem. Chirurgi huic societati adscripti, ob togam doctorali similem, togati (*chirurgiens de la robe longue*) appellabantur b)

PAVLVS GRISIGNANVS de Salerno, cujus aetas incerta est, ad haec tamen forte tempora referri debet, scripsit in HIPPOCRATIS *aphorismos expositionem*, Salerni, anno MDXLIV editam et *libellum de pulsibus et vrinis*, Salerni MDXLIII editum.

Praeter enumeratos auctores sequentes medici Salerni floruerunt, et quidem forte omnes ante saeculum XV.

JOANNES DE SANCTO PAVLO c)

GVILIELMVS PLACENTINVS d).

HIERONYMVS BALDVINVS e).

GVALTHERVS SALERNITANVS f).

BOCCVTIVS GRILLO. Scripsit *de practica medicinae* et *de differentiis pulsuum et febrium* libros, quos manuscriptos in bibliothecis latere MAZZA refert g).

DE-

b) Corte notize istoriche intorno a medici scrittori Milanesi. Milano 1718. pag. 15.

c) *Conring* antiq. acad. diss. III. pag. 105.

d) *Conring*, l. c.

e) *Conring*, l. c.

f) *Conring*, l. c.

g) cap. IX, pag. 59.

Detius Pennella *practicam omnium accidentium scripsit, quae humanum corpus laedere possunt*, typis non excussam h).

Aegidius Ursone librum *de pulsibus et urinis* edidit i).

Laurentius Grillo *de sapore* dulci et amaro librum scripsit k)

Matthaeus de Platamone *de Puteolanis balneis* metrice scripsit, carmine nondum edito l).

Petrus Barliarius, quem in necromantia multa scripsisse, in omni scientia versatissimum, Ant. Mazza refert m).

Alios, quos ipso saeculo XV floruisse credibile est, lubens omitto.

h) *Mazza*, cap. IX. pag. 59.
i) *Mazza*, l. c. pag. 59.
k) *Mazza*, l. c. pag. 64.
l) *Mazza*, l. c. pag. 61.
m) cap. IX. pag. 61.

II.

De regiminis sanitatis Salernitani auctore, librisque scriptis et editis.

Salernitanorum medicorum carmen, quo sanitatis regimen tradiderunt, ante Aegidii Corboliensis tempora jam in Gallia fuisse notum, adeoque saeculo ineunte duodecimo, et quidem consentiente et approbante tota schola, a magistro quodam Salerni medicinam docente esse compositum, sequentibusque temporibus alias medicorum scholas Salernitanorum medicorum carmen satis illepide esse imitatas, supra probavimus. Auctor vero regiminis sanitatis Salernitani in omnibus fere libris Joannes de Mediolano, medicinae in Salernitano studio magister, fuisse dicitur, de quo vero nec scitur quis fuerit, nec quando vixerit, nec quaenam proprie in hoc carmine conficiendo praestiterit. Libri tantum quidam scripti hujus carminis, et quidem non antiquissimi, illius auctorem atque versificatorem Joannem de Mediolano faciunt, cujus vero nomen in antiquioribus scriptis libris, nec non in editis, qui secundum antiquiores codices typis exscripti sunt, plane desideratur. Neque Arnaldus de Villa Nova, qui anno MCCCLXIII fato functus

est,

eſt, a) primosque atque copioſiſſimos in hoc regimen commentarios conſcripſit, ejus auctorem memorat, ſed tantum a doctoribus ſcholae Salernitanae in gratiam regis Angliae conſcriptum eſſe dicit b).

Unicum argumentum, cui inhaerentes hiſtoriae literariae ſcriptores JOANNEM DE MEDIOLANO regiminis ſanitatis Salernitani auctorem fuiſſe perhibuerunt, hoc eſt: quod in codicibus quibusdam manuſcriptis carmen JOANNIS, auctoris ſui, nomen gerat. Sic in calce Tulloviani codicis, cujus titulum ZACHARIAS SYLVIVS c) ex CVRTII praeclaro opere de ſcriptoribus medicis Mediolanenſibus citavit, expreſſe legitur tractatum a JOANNE DE MEDIOLANO eſſe confectum. Altorfinus etiam codex, ſive potius Trewianus, anno MCCCCXVIII ſcriptus, vt in fine expreſſe memoratur, opus JOANNI DE MEDIOLANO tribuit. In ejus fine ſequentia leguntur: *Explicit flos medicinae compilatus a magiſtro Joanne de Mediolano, magiſtro in medicina in ſtudio Salerni. Deo Gratias. anno ſcriptum* MCCCCXVIII.

Sed antiquiores ſaeculo XV an proſtent codices, in quibus JOANNI DE MEDIOLANO carmen adſcribitur, incertum eſt, multos recentiores extare, certiſſimum. In antiquioribus vero JOANNIS nomen deſideratur. Quod ſi noviſſet ARNALDVS DE VILLA NOVA, qui ipſe in Italia et FRIDERICI Neapolitani regis et Salernitani principis archiater fuit, cui adeo veri auctoris eruendi oc-

a) *Jo. Alb. Fabric.* in elench. medicor. veterum. biblioth. graec. Vol. XIII. pag. 85.

b) in commentar. ad primum verſum regiminis ſanitatis Salernitani, pag. 2. edit. R. *Morean.*

c) praef. ad ſchol. Salernit. cap. 3.

occaſio non deerat, ſine dubio ejus mentionem feciſſet. Poſt ARNALDI itaque VILLANOVANI demum tempora JOANNI DE MEDIOLANO carmen Salernitanum adſcriptum eſſe videtur. Si enim antiquioribus temporibus carminis verus auctor fuiſſet cognitus, AEGIDIVS CORBOLIENSIS, qui vix praetermiſit, quae Salernitanis medicis laudandis inſervire poterant, ipſumque regimen ſanitatis Salernitanum probe cognitum habebat, eum certe nominaſſet.

Auctorem verum carminis a ſchola medicorum his temporibus celeberrima in lucem emiſſi, quod aliae ſcholae medicorum in Gallia, Monspelienſis ſcilicet atque Pariſina imitatae ſunt, quo Salernitana ſchola inprimis claruit, quod ad principem horum temporum nobiliſſimum ſcriptum, famam ſtudii Salernitani per Angliam et Galliam inprimis pervulgavit, compoſitumque in verſuum genere, in quo temporum ingenium praeſtantiam ſummam atque leporem plurimum ponebat, et quod ab omnibus legebatur; hunc inquam incertum eſſe auctorem ſane mirum eſt: Si vero ipſum hoc carmen, antiquiſſimo ejus interprete, ARNALDO, probe notante, non ſine approbatione totius collegii Salernitani ad regem Angliae miſſum eſt, non ſane eſt, quod vehementer miremur, *totam Salerni ſcholam* gloriam emiſſi carminis ſibi vindicaſſe ipſamque ſtudio caviſſe, ne verus ejus auctor innoteſceret.

Si vero codici Trewiano, Tulloviano aliisque fidem adhibemus et cum ſummis viris, BARTHOLOMAEO

CVR-

Cvrtio c 1) et Philippo Argelato c 2), qui vero enarratis argumentis graviora non protulerunt, Joannem de Mediolano verum regiminis ſanitatis Salernitani auctorem ſtatuimus, quaeſtio: quando is Joannes vixerit carmenque ſuum compoſuerit, momenti non parvi eſt. Antiquiſſimum de hoc carmine teſtimonium Aegidivs Corboliensis exhibuit, qui *de virtutibus et laudibus compoſitorum medicaminum* poema non longe poſt mediam ſaeculi XII partem confecit. Iisque temporibus Salernitanum ſanitatis regimen in Gallia apud Monſpelienſes et Pariſinos non ſolum notiſſimum erat, verum etiam fama, qua florebat, Monſpelienſes ad eructandum carmen Salernitano ſimile incitaverat. Hinc ſane hiſtoriae literariae ſcriptores, circa ſaeculi XII initia Salernitanum carmen compoſitum eſſe putantes, non vehementer errare certum eſt.

His vero temporibus Salerni vixiſſe Joannem de Mediolano neque Petrvs Diaconvs neque, qui alias celebres in arte medendi Salernitanos medicos ſtudioſe enarrat, Aegidivs Corboliensis memorant. Forſan tamen Joannes medicus quem Petrvs Diaconvs d) memorat, Constantini Africani diſcipulus, qui anno MLXXII claruit, carminis Salernitani auctor eſt. Tempus ſane non penitus repugnat, neque repugnat, quod monachus in montis Caſinenſis monaſterio fuerit: monaſterium enim reliquiſſe videtur, et Neapoli, vbi

c 1) Notitie iſtoriche intorno a medici Scrittori Milaneſi, pag. 1 ſeq.

c 2) bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium. Mediolani 1745 fol. tom. II. pag. 739.

d) de viris illuſtribus Caſinenſib. cap. 35.

vbi omnes libros Constantini magiſtri ſui, reliquit, obiit. Repugnant vero, quod Petrvs Diaconvs Joannem quidem medicum diſertiſſimum ac eruditiſſimum vocet, verum moneat ſimul eum aphoriſmum phyſicis quidem ſatis neceſſarium conſcripſiſſe, ſanitatis vero regimen Salernitanum non memoret. Aphoriſmi etiam opus interiit, ſaltim typis excuſſum nondum extat.

Auctor hinc regiminis ſanitatis Salernitani ſane non tam certus eſt, ac a ſcriptoribus hiſtoriae literariae perhibetur et Zachariae Sylvii editio, quae anno MDCXLIX primum prodiit, Joannem de Mediolano, carminis auctorem, in titulo primum memorat. Libelli vero publicati fama mox ſummopere crevit. Quod partim ex commentariis perſpicitur, quibus Arnaldvs de Villa Nova, medicus ſuorum temporum celeberrimus, illum illuſtravit, partim vero ex invidia et imitationis ſtudiis, quibus ductae aliae ſcholae ejusdem generis carmina confecerunt, Monſpelienſis praeſertim atque Pariſina. Hinc etiam libri editi proſtant, ejus exemplo, qui Vitebergae, apud Georgivm Rhau anno MDXLVI prodiit, in quo ſanitatis regimen ſcholae Salernitanae, vel Pariſienſi adſcribitur. Codices etiam copioſiſſimi carminis Salernitani, qui noſtris adhuc temporibus proſtant, quique carmen vario modo deformatum, modo longe pluribus, modo longe paucioribus verſibus conſtans exhibent, docent, carminis hujus famam ante typographicam artem inventam non parvam fuiſſe. Imo codices extant ſaeculo XVI, adeoque longe poſt inventam artem typographicam ſcripti. Multi etiam

alii, ARNALDI Villanovani exemplo praecepta diaetetica ſcribentes eodemque titulo regiminis ſanitatis vtentes, ſcholam Salernitanam imitati ſunt.

Inſcriptio libri, qualis ab editoribus poſt JOANNEM CVRIONEM omnibus data eſt, antiquioribus ſcriptis editisque libris non reſpondet. Codicibus manuſcriptis optimae notae et antiquiſſimis eſſe vſum in editione ſua ARNALDVM DE VILLA NOVA, ex parte jam probavimus et mox, ejus vitam enarrantes, vlterius probabimus, neque facile crediderim codices manuſcriptos carminis Salernitani, his antiquiores, quibus ARNALDVS vſus eſt, exiſtere, quos editores poſt ARNALDVM ediderint quibusque adeo major fides habenda ſit. Titulum vero carmen in ARNALDI editionibus omnibus habet: *Regimen ſanitatis Salerni, aut regimen ſanitatis Salernitanum.* Alia et pariter antiqua inſcriptione, quae vero non in fronte, ſed in fine omnium editionum antiquarum legitur, carmen *flos medicinae* vocatur. Hoc enim verſu in ſcriptis editisque libris carmen ſemper clauditur:

Hoc opus optatur, quod flos medicinae vocatur.

Non paucae editiones antiquiores regem Angliae etiam in titulo memorant, ad quem carmen ſcriptum eſt. Codices quidam, illius exemplo, quo RENATVS MOREAU in editione ſua vſus eſt, in primo verſu carminis loco regis Anglorum, Francorum regem habent, librariorum vitio. Regem hunc Angliae ex Palaeſtina cum exercitu reducem, fiſtula, ex vulnere reſidua, laboraſſe, Salernitanosque medicos regis hoc morbo laborantis gratia caput de fiſtula in carmine ſuo pro-

po-

posuisse, antiqua fabula est. Differentes auctorum opiniones, quis nominatim per Angliae regem intelligi debeat SAXIVS, V. cl. e) tam praeclare enarravit, vt illius verbis huc transscriptis lectores optime de hac controversia judicaturos fore sperem et confidam. *Quis vero, inquit, per regem Anglorum intelligi debeat, Eduardus, qui sanctus vocatur, an Robertus, Wilhelmi Conquestoris filius natu major, Dux Normanniae, regiumque Angliae nomen adversus Wilhelmum et Henricum fratres vindicans, propter discordem censentium auctoritatem incertum videri posset. Ant. Pagius* f) *Eduardo transmissum esse librum anno 1066.* (adeoque a Joanne Casinensi monacho compositum) *opinatur: Vossius* g) *contra Conringius* h) *et alii in gratiam Roberti conscriptos esse versus putant, quorum sententiae lubentius, quam Pagianae, accesserim, propter Joannis de Mediolano aetatem.*

In versuum numero codices manuscripti infinite variant: notandum vero iterum est, quod jam monui, ex optimis codicibus textum, quem ARNALDVS dedit, profluxisse, isque in antiquioribus libris omnibus tantum CCCLXIV versus habet. Vulgatum textum CCCLXXII versus comprehendere, RENATVS MOREAU i 1) refert, sed quid sub vulgato textu intelligendum sit, non enarrat. Codices vero et libri editi, antiquis codici-

e) onomast. literar. Vol. II. pag. 205.
f) in Crit. Baron. ad ann. 1087.
g) de philosoph. c. 12. §. 37. p. 105. et de poet. latinis cap. VI. pag. 72.
h) de antiq acad. diss. III. pag. 104. de script. XVI post Christ. nat. saec. XIII. cap. 4. pag. 127.
i 1) prolegom. in schol. Salernit. pag. 21.

dicibus et editionibus cum ARNALDI commentariis exceptis, summopere quoad versuum numerum variant. Codex, quem instructissima et rarioribus medicinalibus libris abundantissima bibliotheca Trewiana servat, MLXXIII versus continet. Codex Schenkianus MCCXXXIX, Naudinianus CLXXXIII, Tullovianus MXCVI, Morellianus DCLXIV. Editi libri etiam quoad versuum numerum summopere inter se discrepant, et qui post JOANNIS CURIONIS primam editionem prodiere omnes numerum versuum majorem, quam antiquiores, quae cum commentariis ARNALDI, et sine eis prodiere et CCCLXIV versus habent, continent. Diversitatem numeri versuum in singulis editionibus quae ad manus sunt, (et non paucae ad manus sunt) infra diligentius enarrabo.

Causa tantae in versuum numero diversitatis, quam scripti editique libri regiminis sanitatis Salernitani exhibent, non difficulter intelligitur. Neque ego JOANNI GERARDO VOSSIO facile adsentior, qui librum initio longe auctiorem fuisse et versus MDCXXXIX continuisse putat i2). Monachi sane librarii, medicinam amantes et ventris simul sui curam studiose gerentes Salernitanum regimen diligenter legebant et descriptis crebro ejus codicibus multiplicabant: si vero quaedam ad diaeteticam pertinentia aut ipsi excogitaverant, aut legerant, aut in conviviis suis audiverant, ea in versus leoninos redacta carmini inserebant. Hoc modo, quum in plurimas manus carmen perveniret, versuum numerus sensim auctus est. Versus

i2) Libr. V. de natura artium.

ſus etiam ab aliis compoſitos librarii non raro inſeruerunt. Sic in omnibus regiminis Salernitani libris verſus ex Aemilio Macro deſumti leguntur k), ex parte forſan ab ipſo carminis auctore jam recepti.

Commentatorem vnicum regimen ſanitatis Salerni habuit: reliqui enim commentarii omnes ex enarrationibus Arnaldi de Villa Nova nati ſunt.

Arnaldvs Villanovanvs, ineunte ſaeculo XIII et quidem Symphoriano Campegio l) referente, anno MCCC natus, et anno MCCCLXIII Fabricio m) teſte, fato functus, vir ob peculiares ſuas in rebus ad theologiam pertinentibus opiniones et ob fata ſua celebris et multa paſſus, cum eſſet ferme annorum XX, ad Pariſienſem academiam ſeſe contulit. Hinc poſt ſtudia decem annorum Montempeſſulanum profectus medicinam audivit, atque inde Italiam, ad Pythagoraeos philoſophos, conceſſit. Ab his in Hiſpaniam, ad Arabes philoſophos ſe recepit. Ad Graecos etiam progredi decreverat, verum ob bella a propoſito deſtitit. Hebraicam, Arabicam, Graecamque linguam calluit, medicinalique ſua ſcientia magnopere inclaruit. Quum vero audiviſſet Petrvm de Apono, coaevum et amicum ſuum, cum quo in rebus ad theologiam pertinentibus aequaliter ſentiebat, ab inquiſitoribus fidei vexari n), ipſe, verens ne in manus cucu-

 la-

k) *Ren. Moreau* in proleg. ad Schol. Saler.

l) in vita *Arnaldi* operibus *Arnaldi* praefixa, (mea editio Lugduni 1527. in fol. prodiit) cap. 1.

m) elench. medicor. veterum, in bibl. Graec. Vol. XIII. p. 85

n) Has vexas praeclare, vti ſolet, enarrat, *Grunerus*, Vir. Ill. in vita *Petri de Apono*, quae in libro: *Almanach für Aerzte und Nichtärzte* 1788. legitur.

latorum incideret, clam aufugit et in Siciliam profectus ibique a FRIDERICO, Siciliae Rege, in magno honore habitus est. Missus tandem a FRIDERICO ad Romanum Pontificem sanandum, in itinere mortuus et Genuae sepultus est.

Multa scripsit, praeter libros ad praxin medicam aliasque medicinae partes pertinentes, ad diaeteticam pertinentia, *de regimine sanitatis opus*, in quo rerum non naturalium vsum ad vitam humanam praeclare pertractavit; *regimen sanitatis ad inclytum regem Arragonum*, nec non libellum: *de conservanda juventute et retartanda senectute.* In libello: *de regimine castra sequentium* vnicum sese medii aevi medicinae militaris scriptorem probavit.

Commentum super regimen Salernitanum. Hunc titulum commentariis suis in Salernitanorum medicorum carmen dedit. Eadem fere quidem in eo repetuntur, quae in regimine sanitatis et in regimine sanitatis ad Arragonum regem dixerat, neque difficilia loca explicantur, quibus regimen sanitatis Salernitanum non caret, verum diaetetica inprimis praecepta scholae Salernitanae in commentariis secundum GALENI Arabumque praecepta vberius exponuntur atque vario modo illustrantur. Hi commentarii, medii circiter saeculo XIV. conscripti, codicibus fere omnibus, regiminis sanitatis Salernitani, qui adhuc extant, antiquiores sunt, simulque ipsum regimen sanitatis Salernitanum continent. Neque dubium est, quin ARNALDVS, qui ipse in Italia et sine dubio etiam Salerni fuerat versatus, qui medicus domini erat, cui Salernum

num parebat, optimum, et ab ipsis forsan medicis Salernitanis probatum codicem carminis Salernitani descripserit atque illustrandum sibi sumserit. Hinc eum textum in commentariis suis simul dedit, quem scholae Salernitanae regimen sanitatis plane tale exhibere, quale ipsi medici Salernitani dederant, verosimillimum est. Indeque quum in codicibus manuscriptis praeceptorum, quae in regimine sanitatis Salernitano continentur, versuumque ordo turbatus magnopere sit numerusque vehementer variet, antiquas editiones commentariorum ARNALDI, in quibus omnibus regimen sanitatis Salerni simul legitur, hoc purius, neque librariorum erroribus depravatum exhibere certum est.

Post ARNALDVM JOANNES CVRIO, cum JACOBO CVRIONE non confundendus, Rhenobergensis, o) sive, vt se ipsum vocat, Berckensis, in vniversitate literarum Erfordiana professor et reipublicae physicus, regimen sanitatis Salernitanum, in societatem laboris simul adscito JACOBO CRELLIO, novis curis recognovit auctiusque edidit. Editio prima, quam aliae permultae, infra enarrandae, sequutae sunt, Francofurti, anno MDXXXVIII, in 8vo prodiit. Novos commentarios, vt ZACHARIAS SYLVIVS, RENATVS MOREAV, aliique existimarunt, non confecit, verum ARNALDI VILLANOVANI enarrationes dilatavit, multis praeceptis et rerum ad diaeteticam pertinentium enarrationibus auxit, auctorum loca, ad illustranda ea, quae proposuerat, multiplicavit, novosque versus, quos addi-

 dit,

o) *Motschmann*, in Erfordia literata continuat. pag. 626. seq.

dit, novis commentariis instruxit. Cum sua hinc editione anni MDXXXVIII principe aliae et ab ARNALDI editionibus differentes regiminis sanitatis Salernitani Editiones incipiunt, quas infra prolixius describemus. In omnibus etiam regiminis Salernitani libris editis post annum MDXXXVIII, qui ad manus meas pervenerunt, tituli quidem ARNALDI VILLANOVANI commentariorum mentionem faciunt, hos vero commentarios ipsi libri non continent integros atque illibatos, sed a CVRIONE tantopere auctos, vt ARNALDI opera in iis vix cognosci possit.

Eosdem postea commentarios recognovit iterum, polivit atque auxit COSTANSONIVS. Eosque commentarios integros dedit in regiminis Salernitani editione sua RENATVS MOREAU.

Ipse vero etiam RENATVS MOREAU in editione sua adornanda eo respexit, vt regimen Salernitanum, quantum posset, emaculatum, et cum omnibus commentariis emitteret. Hinc omnes, quos dixi, commentarios recognovit, errores eorum diligenter notavit et non raro acriter coarguit. Hoc vero in novis animadversionibus, a se ipso additis, effecit, ita vt proprie vnicum interpretem sanitatis regimen Salernitanum habuerit, ARNALDVM, plures vero ARNALDVS enarratores habuerit, RENATVM autem MOREAU, qui interpretum ARNALDI errores saltim plurimos notaverit atque post iustum examen coarguerit.

Omnes vero hi commentarii, qui spissum satis volumen efficiunt, (editio RENATI MOREAU DCCXCV paginis, pro-

prolegomenis et indicibus exceptis, continetur, Pariſiis anno MDCXXV edita, quae ſola ad manus eſt) ſaeculo noſtro parum commodati ſunt. Antiquiores Galeni et Avicennae Rhasisqve medicinam penitus redolent. Recentior Renati Moreau enarratio ipſi operi illuſtrando parum inſervit, verum potius praeter praecepta diaetetica de ciborum vtilitate atque noxis, quae noſtra aetas et meliora et probatiora dedit, errores aliorum diligenter notatos, inter plurimos errores typographicos, qui ſenſum ſaepe turbant, continet.

Hinc hoc in mea editione inſtitutum ſervavi, vt omiſſis commentariis omnibus, regimini ſanitatis Salernitano nihil adderem, quam capitulorum inſcriptiones, etiam ipſo carmine recentiores, tamen legentibus, vt loca quaedam habeant, quibus a lectionis laboribus requieſcere poſſint, non plane inutiles. Textum vero dedi eum, in quem Arnaldvs de Villa Nova fuerat commentatus. Sequutus ſum antiquam editionem, quae Lovanii, in domo magiſtri Johannis de Westfalia ſine anni mentione impreſſa eſt, quamque mox copioſius deſcribam. Antiquas vero editiones, quae ad manus fuere, cum et ſine Arnaldi commentariis emiſſas, et plurimae ad manus fuere, quas aſteriſcus adjectus indicabit, ſemper contuli earumque opera, omni, quo fieri potuit, ſtudio, curavi, vt textum emaculatiſſimum in lucem emitterem. Ubi fieri poterat collationem codicis manuſcripti Treviani non neglexi. Notas non addidi, niſi ad intelligendum carmen neceſſarias.

Codices regiminis sanitatis Salernitani manuscripti.

Multos regiminis sanitatis Salernitani codices extare scriptos, supra retuli. Enarrabo codices, qui mihi innotuerunt, et eos quidem primum, qui non accurate ab auctoribus describuntur, deinde studiosius descriptos. Multi alii in bibliothecis continentur et in catalogis describuntur, quos legere mihi non licuit.

1) *Codex Schenckianus*, quem in bibliotheca sua memorat JOANNES GEORGIVS SCHENCK A GRAFENBERG. MCCXXXIX. versibus constat. a)

2) *Codex Naudinianus*, qui CLXXXIII. versibus componitur. b)

3) *Codex Tullovianus.* In ejus fine haec leguntur. *Explicat tractatus, qui dicitur flores medicinae, compilatus in studio Salerni a Mag. Joan. de Mediolano instructi medicinalis Doctore egregio, compilationi cujus concordarunt omnes magistri illius studii.* Versus MXCVI. continet. c)

4) Codex RENATI MOREAU. Versibus DCLXIV. componitur. In primo versu loco Anglorum Regi, *Francorum Regi* legitur. Haec fere omnia sunt, quae de codice suo refert ipse REN. MOREAU. Versus, qui in aliis libris non continentur,

a) *Moreau* in praefat. ad Schol. Salern. p. 21.

b) *Moreau* ibid.

c) *Zach. Sylvius* in proleg. ad Schol. Salern. cap. 3. *Phil. Argelati* bibliotheca scriptorum Mediolanensium. Tom. II. pag. 740. *Moreau*, loc. cit.

tur, in codice ſuo vero ſcripti extant, in regiminis Salernitani editione ſua edidit. In his non mali ſunt, et codicis antiquitatem probantes, V. g.

Pone gulae metas, vt ſit tibi longior aetas.
Ut medicus fatur, parcus de morte levatur.
Non bibe non ſitiens, et non comedas ſaturatus.
Eſt ſitis atque fames moderata bonum medicamen.

5) *Codex regiminis ſanitatis Salernitani Anglicus*, qui in catalogo manuſcriptorum Angliae et Hiberniae deſcribitur. Supra jam dedi, quae in ejus fine leguntur, hic repetenda: *Explicit florarium verſuum medicinalium, ſcriptum Chriſtianiſſimo Regi Francorum Carolo Magno a tota vniverſitate Doctorum medicinarum praeclariſſimi ſtudii Salernitani, tempore quo idem Saracenos devicit in Rancivalle, quod latuit vſque tarde et Deo volente nuper prodit in lucem.* In initio haec leguntur: *Incipiunt verſus medicinales editi a magiſtris et doctoribus Salernitanis in Apulia, ſcripti Carolo Magno Francorum Regi glorioſiſſimo, quod opuſculum in V partes dividitur.* Diviſum ante ARNALDVM opuſculum non erat, hinc hunc codicem ſaeculo XV. fuiſſe ſcriptum ſuſpicor.

6) 7) 8) In bibliotheca Regia Pariſina tres codices extare, n. 6931, 6891, et 6941. HALLERVS d) memorat. Plures etiam in regia bibliotheca Londinenſi extant.

9) *Co-*

d) biblioth. botan. Tom. I. pag. 158.

9) *Codex* papyraceus, qui in scriniis bibliothecae servatur, quam Illustris quondam vir, JOANNES JACOBVS TREWIVS literarum vniversitati Altorfinae legavit, satis bene scriptus et ex MLXXIII. versibus compositus, capitulorum inscriptiones aliumque ordinem versuum habet, quam libri antiquiores cum ARNALDI commentariis editi. Notas marginales permultas librarius addidit, quae vtplurimum similia iis praecepta, quae in textu proponuntur, versibus leoninis expressa continent. Sic. x. g. occasione versuum:

Lotio post mensam tibi confert munera bina,
Mundificat palpas (palmas) et lumina reddit acuta,

hic versus in margine legitur:

Est oculis sanum saepe lavare manum.

Non opus est, vt multiplicem exempla, vnico hoc satis docente quomodo versus regiminis sanitatis Salernitani ex marginibus sensim in textum irrepserint et hoc modo multiplicati fuerint. Caeterum carmen in hoc codice titulum habet: *regimen generale*, in fine vero leguntur haec verba: *Explicit flos medicinae compilatus a magistro Johanne de mediolano, magistro in medicina in studio Salerni. Deo gratias. anno scriptum* 1418.

10) *Codex bibliothecae Uffenbachianae.* d) Chartaceus est et initio saeculi XVI. scriptus. Titulum hunc habet: *Regimen sanitatis Salernitanum excel-*

d) biblioth. Uffenbach. Part. IV. pag. 118. 119.

excellentiſſimum pro conſervatione ſanitatis totius humani generis perutiliſſimum, a magiſtro Arnoldo de Villa nova Cathelano omnium medicorum viventium gemma vtiliter ac ſecundum omnium antiquorum medicorum doctrinam veraciter expoſitum, noviter correctum ac emendatum per valentiſſimos, egregiſſimos ac medicae artis peritiſſimos Doctores Montis-peſſulani regentes, anno MCCCCLXXX. *praedicto loco actu moram trahentes: ſcriptum per Balthaſar Lotwiger civem in Hallis. 1506.* In vno cum hoc ſanitatis regimine volumine continetur etiam *Regimen ſanitatis editum ad Innocentium Papam tertium in villa Pariſienſi* e)

11) Alius adhuc codex manuſcriptus in bibliotheca Uffenbachiana extat f) hoc titulo: *Schola Salernitana de conſervanda bona valetudine cum nonnullis additamentis et notis marginalibus. Deſcripſit J. C. Mycropius. Adject. in fine Victus et cultus ratio expoſita quatuor in ſingulos menſes verſibus per Joachimum Camerarium.*

12) *Codex Colomeſii.* Eum ipſi memorat in cimeliis librariis g) ſimulque monet eum tantum verſuum non continere, quantum codex Renati Moreau.

Editi regiminis ſanitatis Salernitani libri in ſex claſſes commode dividuntur. Prima claſſis continet libros antiquos, cum commentariis Arnaldi Villanovani in lucem emiſſos, in quibus nec carminis verſus, nec

e) pag. 119.
f) pag. 128. g) pag. 107.)

nec ipſi commentarii novis acceſſionibus aucti ſunt. Hos textum eum continere, quem Salernitanorum medicorum collegium ediderat approbaveratque, admodum, vt jam diximus, credibile eſt. Hique libri ad ea vſque tempora, quibus JOANNIS CVRIONIS et JACOBI CRELLII opera et carminis verſus aucti alioque diſpoſiti ordine, et commentarii variis acceſſionibus locupletati ſunt, omnes omni modo inter ſe, typographorum forſan erroribus exceptis, conveniunt atque verſus CCLXIV. habent. Iique aut ſeorſim prodierunt, aut cum ARNALDI reliquis operibus.

Praeter regiminis ſanitatis Salernitani cum commentariis ARNALDI editiones, multae etiam antiquae editiones proſtant, quae carmen Salernitanum absque commentariis continent. Eaeque aut quoad verſuum numerum ordinemque ab his editionibus, quae cum ARNALDI enarrationibus prodiere, differunt, aut cum iis perfecte conveniunt. Differentia vero ad annum vſque MDXXXIX. quo prima editio per JOANNEM CVRIONEM et JACOBVM CRELLIVM aucta prodiit, vix valde magna eſt, et in omnibus, quos mihi videre licuit, libris, pauciſſimi tantum verſus additi ſunt.

Cum JOANNIS CVRIONIS et JACOBI CRELLII vero editionibus, quae numeroſiſſimae prodiere, alia incipit editionum ſeries, in quibus verſus longe numeroſiores auctioresque commentarii continentur. Verſus, quos adjecere, ſine dubio ex codicibus manuſcriptis deſumſerunt CVRIO et CRELLIVS, commentarios vero novos non addiderunt, ſed auctis atque emendatis ſubinde ARNALDI commentariis, verſus,

quos

quos ipsi addiderunt, suis enarrationibus instruxerunt.

Costansonivs nec versus novos, nec commentarios addidisse, verum recognitis carmine et commentariis, opus ipsum emendatius edidisse videtur.

Tandem Renati Moreau editio prodiit, prioribus omnibus longe auctior. Versus enim ex codice suo (quem non descripsit) non paucos addidit, propriosque animadversionum titulo, et satis copiosos commentarios. Editio vero ipsa vitiis plurimis laborat. Quae Arnaldo propria sunt, aliisque commentatoribus parum mutata sunt, sed secundum priores editiones iterum edita. Caeterum nimis spissum opus est multaque continet plane aliena a carmine, erroresque typographicos tam copiosos in Parisina editione ab anno MDCXXV. reperire licet, vt permulta loca nullum plane sensum praebeant. Neque hanc editionem alii editores repetierunt.

Editionum regiminis sanitatis Salernitani itaque classes hae constituendae sunt:

I. Editiones cum commentariis Arnaldi quae vsque ad annum MDXXXVIII. prodierunt.

II. Editiones ad eundem vsque annum, quae textum tantum, absque Arnaldi commentariis exhibent.

III. Editiones studio Joannis Cvrionis et Jocobi Crellii ab anno inde MDXXXVIII. in lucem emissae.

IV. Editio a Renato Moreau in lucem emissa.

V. Recentiores editiones.

VI.

VI. Carminis versiones in linguas alias.

I.

Cum commentariis ARNALDI VILLANOVANI *ad annum vsque* MDXXXVIII.

Sine anni mentione ad manus est editio antiquissima, cum commentariis *Arnaldi*, omnium forsan, quae prodiere, prima. In initio haec leguntur: *Regimen sanitatis Salernitanum nec non et magistri Arnoldi de nova villa feliciter incipit.* Post Salernitanum carmen cum *Arnaldi* enarrationibus sequitur liber *de conservatione corporis*, *seu de regimine sanitatis*, *compositus per magistrum Arnaldum de villa nova.* In fine haec leguntur: *Explicit regimen sanitatis compositum seu ordinatum a magistro Arnoldo de villa nova Cathalono omnium medicorum viventium gemma. Impressum Louanii in domo magistri Johannis de Westfalia.* in 4to *) Continet plagularum fasciculos XVII, Gothicoque charactere, impressum est. Literae initiales, custodes et paginarum numeri desunt. Vid. etiam *Placidi Braun notitia historico-literar. de libris vsque ad ann.* 1479. *impressis in bibl. monast. ad* S. *Udalricum et Afram. Aug. Vind.* 1789. part. II. pag. 22.

Alia ad manus est editio in quarto, ante annum 1523, quem possessor adscripsit, impressa, hoc titulo: *Regimen sanitatis cum expositione magistri Arnaldi de villa nova Cathellano noviter impressus.* Tituli pars inferior figura ligno incisa ornata est. Carmini ipsi praefixa sunt verba plane eadem, quae infra, in enarratione editionis Argent. ab anno 1491. dabimus. In

fine

fine leguntur verba: *Impressum Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus.* 15. plag. *)

Regimen sanitatis Salernitanum nec non et magistri Arnoldi de nova villa feliciter incipit. In fine: *Explicit regimen sanitatis compositum seu ordinatum a magistro Arnoldo de villa nova omnium medicorum viventium gemma* in 4to fine loco et anno. *Bibl. Schwarz.* P. II. p. 46.

Regimen sanitatis. In fine: *Finit regimen sanitatis. Impressum lipczk per Conradum Kacheloffen*, in 4to 2 plag. Continet disticha aut ex regimine sanitatis Salernitano desumta, aut propria auctori. Post singula disticha latina germanica versio sequitur. Primum incipit hoc versu: *Anglicorum regi conscripsit scola solennis*, &c. *Die Schul von Paris hat gesandt*, &c. vid. *G. W. Panzeri*, viri doctiss. librum: *Annalen der ältern deutschen Litteratur* Nürnb. 1788. in 4to pag. 36.

1480. in 4to cum expositione. *Maittaire.*

1482. Lugduni, in 4to *Haller.*

1484. Pisae, in 4to. *Haller.*

1484. Parisiis, in 4to. *Haller.*

1490. Monspelii, in 4to. *Haller.*

1491. Venetiis, per Joannem de Forvilio in fol. *Schuster.*

1491. Argentorati, in 4to. In titulo leguntur: *Regimen sanitatis.* In sequente folio, ante carminis initia: *Incipit regimen sanitatis Salernitanum excellentissimum pro conservatione sanitatis totius humani generis perutilissimum. nec non a magistro*

Arnaldo de villa nova cathelano omnium medicorum viventium gemma vtiliter ac cum omnium antiquorum medicorum doctrina veraciter expositum. noviter correctum ac emendatum per egregissimos ac medicinae artis peritissimos doctores montis pessulani regentes anno MCCCCLXXX predicto loco actu moram trahentes. In fine haec leguntur: *Tractatus qui de regimine sanitatis nuncupatur finit feliciter. Impressus Argen. Anno dni MCCCCXCI. In die sancti Thome cantuariens.* *) Continet plagularum fasciculos decem.

1493. Parisiis, in 4to, per Balligault. *Maittaire.*

1494. Coloniae, cum commentariis Arnaldi, in 4to. *Bibl. Richterian.*

1503. Argentorati, per Jo. Priis, in 4to. *Schuster.*

1505. Parisiis, cum Arnaldi commentariis, in 4to *Bibl. Königsdörfer.*

1507. Coloniae, in 4to. Titulus est: *Regimen sanitatis Salernitanum editum a magistro Arnoldo de villa nova cathalano omnium medicorum gemma.* Aversa tituli pagina in figura ligno incisa scholam, docentes nempe et discentes, exhibet. Eadem figura in fine libri repetita cernitur. Inscriptio carminis est: *Regimen sanitatis Salernitanum editum ad vsum regis anglica magistro Arnoldo de nova villa omnium medicorum viventium gemma Feliciter incipit.* In fine legitur: *Explicit Regimen sanitatis Compositum seu ordinatum a magistro Arnoldo de villa Nova. Cathalano omnium medicorum viventium gemma. Impressum Colonie per Cornelium*

lium dc zyryckzee, apud predicatores. Anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo. Menſs Septembris. die prima. *)

1508. *Regimen ſanitatis.* In fine: *Impreſſum Nuremberge p. Hieronymum Hölzel. Anno MDVIII. XII. die menſis Marcii, in 4to.* 7 fol. Continet LIX. diſticha latina cum Germanica verſione rhythmica. Diſticha ipſa partim ex Salernitano ſanitatis regimine deſumta, partim ab ignoto auctore compoſita ſunt. In fine legitur Publii Virgilii Maronis de livore carmen. Vid. *Panzeri*, V. Summe Rev. *Annalen der deutſchen Litteratur* pag. 298. Repetita eſſe videtur editio, Lipſiae per Conradum Kacheloffen ſine anno notato impreſſa.

1509. Brunſuici, in 4to, pag. 19. conſtans editio regiminis Salernitani prodiit, quòd, vt in ſtudii Salernitani hiſtoria jam memoravimus, Pariſini ſibi vindicaverant. Titulus eſt: *Regimen ſanitatis Anglorum Regi ex Pariſienſi gymnaſio miſſum.* Subſcriptio finalis haec eſt: *Expreſſa ſunt haec in florentiſſima vrbe Brunſvigo, per Joannem Dorn, impoſita ſuprema manu quinto Iduum Junii anno Chriſti 1509.* Exemplum verſuum et Germanicae metaphraſeos ſupra jam dedi. Alterum hic ex *Vincent. Placcii* theatro anonym. et pſeudonym. ſcript. 1015 α) apponere placet:

Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum,
Curas linque graves, iraſci crede profanum.

Wiltu hebben deines herten geſunth,
Wiltu ſtark ſien und unverwunth,

 Wes

Wes frölick, thorn lat vor by gan,
Grote sorge schaltu fahren lan.

1514. Lugduni, per Gilbertum Villiers, in fol. *Schuster.*

In operibus ARNALDI iidem commentarii cum ipso sanitatis regimine Salernitano leguntur. Et quidem anno

1504, si fides *Gesnero* est, opera Lugduni prodierunt, apud magistrum *Guil. Hugon*, in fol.

1505. in fol. min. alia operum editio prodiit, hoc titulo: *Hec sunt opera Arnaldi de villa nova nuperrime recognita ac emendata diligentique opere impressa quae in hoc volumine continentur.* Librorum deinde tituli omnes sequuntur, postea que Petri Salii Vercellensis carmen ad lectores de laudibus Arnaldi de villa nova. In fine haec leguntur: *opus praeclarum magistri Arnaldi de villa nova impendio haeredum nobilis viri quondam Dni octaviani Scoti, civis Modoetiensis summa cum diligentia Venetiis impressum anno MDV per Bonetum Locatellum presbyterum.* Editor est, vt praefatio docet, Thomas Murchius, Genuensis. Folia habet haec editio 355. *)

1509. eadem editio repetita est. Titulus cum ea ab anno 1505. perfecte conuenit. In fine haec leguntur: *Explicit opus magistri Arnaldi de villa nova Lugduni impressum a Fr. Fradin anno Dni 1509. die XX. mens. Decembris.* 317. fol. in fol. min. *)

1520, in fol. *Haller.*

1527. hoc titulo: *Opera Arnaldi de Villa nova medici acutissimi nuper recognita et emendata. Additis etiam quatuor tractatibus qui in antehac impressis deerant: et additionibus marginalibus. Ac tabula tam capitulorum quam materiarum singularissima.* In fine: *Arnaldi de villa nova summi tum philosophi tum etiam medici opus preclarum nuper diligenti cura et studio castigatum impensis haeredum quondam dni Octaviani Scoti civis Modoetiensis ac sociorum Venetiis impressum fuit. Anno 1527. die vero 12 mensis Februarii.* 318. fol. in fol. maj. *)

1532. in fol. *Haller.*

1585. *cum Nicolai Taurelli medici et philosophi in quosdam libros annotationibus, indice item copiosissimo. Basileae, ex officina Pernea, per Conradum Waldkirch.* in fol. min. *)

II.

Editiones ad annum usque MDXXXVIII, quae regimen sanitatis Salerni sine commentariis ARNALDI *exhibent.*

1511. in 4to. *Marsilius Ficinus de triplici vita: scilicet sana, longa et celitus. una cum textu seu regimine sanitatis Salerni. Folio 92.* Salernitanum carmen incipit, hac cum inscriptione: *Regimen sanitatis Salernitanum: nec non et magistri Arnoldi de nova villa feliciter incipit.* In fine leguntur haec: *Ex officina Johannis Schotti Argen. Sexta Martii Anno gratie MDXI.* Arnaldi textum exhibet et 364. versus continet. *)

1516. Lugduni, in 4to. Titulus est: *Regimen sanitatis Salerni per Jacobum Myt, expensis Bartholomaei Trot. Maittaire*, tom. II. p. 1. pag. 283.

1546. *Regimen sanitatis Angliae olim regi a schola Salernitana vel Parisina scriptum, a praestantissimis quibusque medicis approbatum, nunc germanicis rythmis illustratum et omnibus bonam corporis valetudinem tueri volentibus vtile et necessarium. Vitebergae, apud Georgium Rhau*, in 8vo. *)

Arnaldum in textu sequutus est editor, qui tamen versus 360 tantum habet, adeoque quatuor, typographi forsan incuria, omisit. Praeter hos 360 versus in fine sequentes habet, quos, cum germanica versione, adjiciam:

Qui fluxum pateris, si non caveas, morieris,
Concubitum, nimium potum, cum frigore motum.
Wer den durchlauf hat vn sich nicht enthelt,
Von frawen, vielen sauffen und von kelt,
Vnd seinen leib bewegt jnn eil,
Der wird gewis dem todt zutheil.

III.

Editiones studio Joannis Cvrionis *et* Jacobi Crellii *ab anno inde MDXXXVIII in lucem emissae.*

1538. *Conservandae sanitatis praecepta saluberrima cum Arnaldi Villanovani exegesi per Joannem Curionem locupletata, vt novum opus videri possit.* Francofurti, in 12mo. *Haller.*

1545. *De conservanda bona valetudine opusculum scholae Salernitanae ad Regem Angliae versibus conscriptum,*

tum, Cum Arnoldi Novicomensis, Medici et Philosophi celeberrimi breuissimis ac vtilissimis enarrationibus. Et haec omnia a barbarie, et infinitis, quibus scatebant, mendis, tam accurate repurgata, vt jam quasi novam faciem induerint, citraque offensionem legi possint. Opera et studio Joannis Curionis et Jacobi Crellii. Francofurti, apud Christianum Egenolphum. in 8vo. Annus in fine notatus est. Folia habet, exceptis praefatione atque indice capitulorum 141, et figuris ligno incisis textuique interspersis ornata est. *)

Multa in textu et in Arnaldi enarrationibus mutaverunt editores, qui scholae Salernitanae praecepta conjunctim ediderunt, et non raro injuria: Versus addiderunt, v. g. cap. 56.

Ne male conveniens ingrediatur iter.

Et cap. 67.

Saepe solet tritam si nectis desuper herpam.

Capiti 72. hos versus addiderunt:

Hujus flos sumptus in aqua frigescere cogit
Instinctus veneris cunctos acres stimulantes,
Et sic desiccat, vt nulla creatio fiat.

Omiserunt e contra versus, quos Arnaldi editiones omnes habent:

Caseus, anguilla, nimis obsunt, si comedantur.

Et

Copia dulcoris anisi sit melioris.

1545 eadem editio repetita est in 12mo: *Maittaire,* tom. V. part. 2. pag. 222. *Haller.*

1545. Pariſiis, in 12mo. *Cat. bibl. Grypeſw.*

1549. Francofurti, cum Jo. *Katſchei* placitis de regimine ſanitatis ex *Hippocrate* et *Galeno* deprompptis, in 12mo. *Haller.*

1551. (annus in fine legitur) Francofurti apud Chriſt. Egenolphum haec editio repetita eſt. Titulus cum titulo editionis ab anno 1545 convenit: notata tamen ſimul in eo haec ſunt: *Acceſſere de electione meliorum ſimplicium ac ſpecierum medicinalium Rhytmi M. Othonis Cremonenſis, item S. Auguſtini Concio de vitanda ebrietate carmine reddita.* Figurae libro inſperſae ſunt qui in octavo prodiit. Folia habet 147. *)

1552. Lipſiae in 8vo, addita verſione Germanica. *Fabric.* bibl. lat. Vol. III. c. 12. p. 884.

1553. Francofurti, apud Egenolphum, in 8vo. *Bibl. Richter.*

1554. Francofurti, per Curionem et Crellium, in 8vo. *Bibl. Traj. Batav.* pag. 113.

1555 cum enarrat. Arnoldi et rhythmis Oth. Cremonenſis et Phil. Melanchth. de moderatione cibi &c. et Polybi tract. de victu ſalubr. Pariſiis, apud Juven. in 12. *Maittaire.*

1557 in 8vo, Francofurti, apud haeredes Egenolphi, (annus in fine memoratur) hoc titulo: *De conſervanda bona valetudine opuſculum ſcholae Salernitanae ad Regem Angliae Germanis Rhytmis illuſtratum. Cum Arnoldi Novicomenſis, medici et philoſophi antiqui enarrationibus vtiliſſimis noviſſime recognitis et auctis per Joannem Curionem. Item*

de

de ratione victus ſalutaris poſt inciſam venam epigramma Anaſtaſii ad Armatum. Victus et cultus ratio expoſita quatuor per ſingulos menſes verſibus per Joachimum Camerarium. De electione meliorum ſimplicium ac ſpecierum medicinalium rhytmi venuſtiſſimi Othonis Cremonenſis. De moderatione cibi et potus, item ſomni et vigiliarum Doctrinae ſaluberrimae D. Philippi Melanth. De victus ſalubris ratione privatorum, Polybii tractatus, Andernaco Interprete. *)

Figuras habet haec editio. Germanici verſus cum verſibus editionis Vitebergenſis ab anno 1546 conveniunt. Verſuum ordo, inprimis a capite 102, ſummopere turbatus eſt, ſine dubio cauſa adjecti epigrammatis, quod in titulo memoratur.

1557. Francofurti, apud Egenolphi haeredes, per Jo. Curionem, in 16mo. *Conr. Geſner.*

1557. Antwerpiae, apud Joannem Withagium, ſub inſigni Falconis, in 12mo. *)

Eſt repetitio editionis Francofurtenſis, ab anno 1557, verſusque eodem modo translocatos reliquaque omnia continet.

1559. Francofurti, apud haeredes Chr. Egenolphi in 8vo. *)

Cum editione Francofurtenſi ab anno 1557 penitus convenit, et foliis conſtat 279.

1562. Antwerpiae, apud Jo. Withagium, in 12mo *Manget.*

1568. Francofurti, apud haeredes Egenolphi in 8vo, cum figuris ligno incisis atque Vitebergensi versione Germanica repetita. Folia habet 280. *)

Accesserunt huic editioni, quae editionibus ab anno 1557 plane respodet, versusque eodem modo transpositos habet, praeter supra, in titulo editionis Francofurtensis ab anno 1557 memorata, n. 1. *Emissi sanguinis observatio, ex Jo. Fernelii de vacuandi ratione cap. 20*, et n. 3. *Dioclis epistola praeservativa. Jano Cornario, medico physico interprete.* Figuras habet ligno incisas et germanicam versionem.

1573. Francofurti, apud haeredes Christiani Egenolphi, in 8vo. fol. habet 280, exceptis praefat. atque indice. *)

Convenit penitus cum editione Francofurtensi ab anno 1568. cf. *Freytag* apparat. lit. Tom. II. pag. 941.

1577. Lugduni, apud Joannem Lertout. in 12mo. pag. 548. *)

Respondet ex omni parte editioni Francofurtensi ab anno 1568. Figurae ligno incisae, et germanica versio tamen desiderantur.

1580. Parisiis, apud Hieronymum de Marnef. 12.

1582. Francofurti, apud haeredes Christiani Egenolphi in 8vo, cum figuris ligno incisis et germanica versione. *)

Repetita est editio ab anno 1568. et folia habet 280.

1582. *Proverbialia dicteria ethicam et moralem doctrinam complectentia versibus veteribus rhythmicis, una cum Germanica interpretatione conscripta, per Andream Gartnerum*, Francofurti, apud haered. Christ. Egenolphi in 8vo. *)

Quinta haec editio est. Continet excerpta ex regimine sanitatis Salerni, et foliis constat 127.

1587. Venetiis, in 8vo. Curionis est editio.

1591. Genevae, in 8vo. *Haller.*

1594. Francofurti, apud Egenolphi haeredes, in 8vo. *Schuster.*

1594. Coloniae, in 16mo. *Haller.*

1595. Coloniae, in 8vo. *Haller.*

1599. absque loco, in 12mo. *Haller.*

1605. Francofurti, in 12mo, per Jo. Curionem. Bibl. *Trilleri.*

1606. Coloniae, per Curionem, in fol.

1611. Francofurti, apud Joannem Saurium, per *Joannem Curionem* recognita et repurgata, in 8vo.

Hoc etiam anno 1611 primum prodiit RENATI MOREAV editio, quam non vidi.

Ad manus vero est altera, quam mox describam.

1615. Romae, apud Andream Phaeum, in folio patente.

1617. Roterodami, in 12mo.

1618. Venetiis, cum enarrationibus Arnaldi auctis per Jo. Curionem. in 12mo. *Bibl. Barberin.*

IV.

IV.

Editio RENATI MOREAU.

1625. *Schola Salernitana, hoc eſt de valetudine tuenda opus nova methodo inſtructum, infinitis verſibus auctum, commentariis Villanovani, Curionis, Crellii et Coſtanſoni illuſtratum. Adiectae ſunt animadverſiones novae et copioſae Renati Moreau, Doctoris medici Pariſienſis. Cum indicibus quatuor capitum, quaeſtionum, auctorum et rerum memorabilium. Pariſiis, ſumptibus Thomae Blaſii.* in 8vo. *)

Opus eſt, indicibus copioſiſſimis et dedicatione exceptis, 52 et 795 paginarum, adeoque hac tabe ſaltim non laborans. Judicium de eo noſtrum ſupra candide tulimus. Boni, praefatione excepta, in qua quaedam de ſtudii Salernitani hiſtoria proferuntur, et de leonino carmine, parum, mali plurimum continet. Textum vbique mutavit, absque vlla cauſa editor; verſus, vti ipſi placuit, diſpoſuit, vt novum ordinem carmine daret. Novos plurimos verſus, a librariis profectos, non a Salernitano collegio, addidit. Enarrationes commentatorum, ſuis exceptis, quae animadverſionum nomine diſtinctae ſunt, ita edidit, vt neſciatur quae ſingulis propria ſint. Tandem tam vitioſe impreſſus liber eſt, vt textus vitia paginarum numerum longe ſuperent.

Hoc vero mali haec editio habuit, vt editores poſt RENATI MAVRELLI tempora non pauci, quae ipſe perpetraverat, ſibi quoque licita fore

re putarent. Editiones enim hactenus enarratae omnes aut cum antiquissimo ARNALDI textu conveniebant, aut ab eo non magnopere discrepabant. Nunc vero, hoc auctore praeeunte, ab ARNALDI textu frequenter quidem, at vero non feliciter, discessum est. Editionem tamen MAVRELLI editorum nullus penitus sequutus est.

V.

Editiones recentiores.

1622. Monspessuli, apud Franc. Chovet, in 12mo. *Schuster.*

1623. Herbipoli, forma patente. *Haller.*

1628. Francofurti, exc. Matth. Kempffer, impensis Vincentii Steynmeyeri, per Joannem Curionem recognita et repurgata. in 12mo. *)

1628. Francofurti, per Curionem, apud haeredes Egenolphi, in 12mo. Paginis constat. 478. *)

1628. *Hygieia, id est bonae valetudinis conservandae thesaurus locupletissimus. — Coloniae Agrippinae, typis Petri a Bruchel. in 8vo min.* *)

Scripta diaetetica XI continentur in hac collectione. *Valetudinis conservandae praecepta ex schola Salernitana cum commentariis seu exegesi* alterum locum occupant. Editionem regiminis Salernitani ab anno 1568 editor repetiit iterum. Paginis constat 440.

1628. eadem collectio prodiit Luxemburgi, in 12mo. *Günz.*

1638.

1638. Genevae, ad Jo. Curionis editionem, in 12mo. *Haller.*

1641. Lovanii, in 8vo. Editore R. Bruytsma. *Haller.*

1642. Hamburgi, apud Joannem Gutwaffer, cum verfibus Germanicis in 4to. *Schufter.*

1647. Amftelodami, in 12mo.

1649. *Zach. Sylvii* editio prodiit Hagae Comitum, in 12mo, cujus titulum infra fub anno 1683 dabimus.

1657. Roterodami, in 12mo.

1657. *Zach. Sylvii* editionem repetitam effe Hagae Comitum, in officina Arn. Leers docet *Merklinus* in Lind. renov. pag. 639.

1660. Aquisgrani, in 12mo. *Feuerlein.*

1667. *Zach. Sylvii* editio Roterodami recuffa eft, docente Schufter, in praef. ad fcholam Salern. §. 6.

1672. Editionem *Renati Moreau* repetiit Billanus, bibliopola Parifinus, hoc titulo: *Schola Salernitana de valetudine tuenda opus nova methodo inftructum, infinitis verfibus auctum, commentariis Villanovani, Curionis, Crellii et Coftanfoni illuftratum*, caet. in 8vo.

1673. *Schola Salernitana, id eft: confervandae valetudinis praecepta, poft plurimas impreffiones cum et fine commentariis in variis locis. Nunc bono commodo omnium fanitati fuae provide confulere volentium in libelli hujus formam redacta, vna cum annexis ad finem obfervationibus quibusdam probatiffimis. Permiffu Superiorum. Typis Michaelis Thurnmayer,*

mayer, *ſumptibus Georgi Lackner*, in 12mo. 60. pag. *)

Poſt ſaeculum, et quod excurrit, integrum, haec forſan prima editio eſt, quae illuſtrationis omnis expers prodiit. Sed ipſe ſibi textum fecit editor, et male quidem. Verſus multos habet, quos antiquae *Arnaldi* editiones non habent, adeoque ſpurios: alios omiſit, ſine dubio genuinos. Exempla quaedam dabimus. Verſus genuini medicorum Salernitanorum, quos antiquiſſimi libri cum *Arnaldi* commentariis habent, ipſi deſunt:

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant
Haec tria: mens laeta, requies, moderata diaeta.

Alios vero verſus habet, quos Salernitani non ſcripſerunt, pag. 2.

De recreatione viſus.

Fons, ſpeculum, gramen, haec dant oculis relevamen,
Mane igitur montes, ſub ſerum inquirito fontes.

Pag. 3. verſum alias notiſſimum, non vero Salernitanum habet:

Poſt coenam ſtabis, tui paſſus mille meabis.

Presbyteros adeo immiſcuit carmini pag. 5, haec inſerens:

Regula presbyteri jubet hoc pro lege teneri:
Quod bona ſint ova haec, candida, longa, nova
Si ſumas ovum, molle ſit atque novum.

Pluribus exemplis non opus eſt. Editionem caeterum ab anno 1568 editor ſequutus eſſe vide-

videtur. *Observationes rusticae, eruditis etiam cognitu jucundae, profundioribus subinde rationibus fundatae, exceptae ex nucleo historico R. P. Gabrielis Bucellini, ordinis S. Benedicti theologi* additae sunt.

1683. *Schola Salernitana, sive de conservanda valetudine praecepta metrica. Autore Joanne de Mediolano hactenus ignoti. Cum luculenta et succincta Arnoldi Villanovani in singula capita exegesi. Ex recensione Zachariae Sylvii, medici Roterodamensis. Cum ejusdem praefatione. Nova editio, melior et aliquot medicis opusculis auctior. Cum indicibus duobus, altero capitum, altero rerum. Hagae-Comitum, ex officina Arnoldi Leers*, in 12mo. 512 pag. *)

Haec editio omnibus, quae post annum 1545 prodierunt longe praeferenda et omnium fere optima est, non solum ob concinnam externam formam, verum etiam ob textus et enumerationum integritatem. In textu Sylvius editionem Francofurtensem sequutus est ab anno 1568, versibus tamen non paucis, et quidem ex *Renati Moreau* editione, vt videtur, additis, carmen enim, quale ipse dedit 390 versus habet. Enarrationes *Arnaldi* longe correctiores edidit: quae bona et laudabilia in *Ren. Moreau* editione erant, non neglexit et ad copiosiorem interpretationem sua non raro addidit.

1711. Ratisbonae, ex Zach. Sylvii recensione, in 12mo. *Bibl. Richter.*

1712.

1712. Argentorati, in 8vo. *Bibl. Richter.*

1713. Argentorati, in 8vo. Eſt Zach. Sylvii editio iterum impreſſa. *Haller.*

1714. Lipſiae, in 12mo. *Schuſter.*

1722. Ratisbonae, ſumtibus Joannis Zach. Seidelii, ex rec. Zach. Sylvii, in 12mo.

1726. J. S. H. collectio ſcriptorum medico-diaeteticorum, Sanctorii, Franc. Baconis, Eobani Heſſi, coena Bapt. Fierae, Scholae Salernitanae. Lipſiae, in 8vo. *Bibl. Richter.*

1750. Gottholdi Schuſteri editio prodiit, hoc titulo: *Schola Salernitana, oder Salernitaniſche Schule, die Geſundheit zu erhalten, In teutſche kurze Verſe überſetzt; nebſt noch einigen mediciniſchen Rathſchlägen herausgegeben von* D. G. S. *Frankf. und Leipz.* in 8vo. *)

In praefatione Salernitani ſtudii hiſtoria ex Morelli et Sylvii praefationibus exponitur. Textum ſequutus eſt editionis Francofurtenſis ab anno 1568. Germanica verſio vix optima eſt, et hoc modo incipit:

König groſſer Potentate,
Deine Schule geht zu Rathe:
Wie man ſich geſund und wohl
In Diät verhalten ſoll.

Loca illuſtrantia ex aliis auctoribus copioſe citata ſunt. Addita ſunt conſilia medica de conſervanda bona valetudine verſibus Germanicis conſcripta.

1753. Augustae Vindelicorum, in 8vo, secundum Zach. Sylvii editionem. *Haller.*

1763. *Schola Salernitana auctore Jo. de Mediolano medico apud Salernitanos quondam longe celeberrimo. Plurimis, quibus hactenus scatebat, mendis purgavit et diversitatem lectionis adjecit Jo. Adamus Schier. Athenis ad Elmum. Typis exscripsit P. Diet. Schnorrii vidua.* in 8vo. 60 pag. *)

Sequutus est editor editionem *Renati Moreau*, aliis tamen, quae non describit, etiam bonis exemplaribus vsus est. Lectionis diversitatem, verum non valde multam, adjecit. Versus, qui ex *Aemilii Macri* carmine in Salernitanum sanitatis regimen translati sunt, diligenter notavit.

VI.

Versiones.

a) *Germanicae.*

1474. Germanice apud Crewsnerum, in fol. *Schuster.*

1481. *Regimen sanitatis*, oder *Ordnung* der Gesundheit. Augustae Vindelicorum, in fol.

Hanc editionem, quae anno

1495, in 4to repetita est, titulo: *das Buch Regimen sanitatis genannt, getruckt von Hannsen Froschauer.* (bibl. Schwartzian. Part. II. p. 237.) regimen sanitatis Salerni continere, *Hallerus* putat.

1508. Lipsiae, in 4to. *Haller.*

1509. Brunschwyg, in 8vo. *Haller.*

1519.

1519. Argentorati, in 4to. *Conr. Gesner.*

1532. Argentorati, in 4to. *Conr. Gesner.*

1663. Ulmae, in Jo. Jac. Becheri Parnasso medico illustrato germanica Salernitani carminis versio prostat.

b) *Gallicae.*

1501. Parisiis in 4to. Gallice, cum commentariis Arnaldi, remedio adversus pestem, tractata de vrina et remedio adversus luem veneream. *Haller.*

1561. Parisiis, vertente Geoffroy Tillier, in 8vo. *Haller.*

1561. Parisiis, cum Arnaldi glossa gallice versa. in 4to. *Haller.*

1637. Parisiis, in 8vo, cum Gallicis versiculis. *Haller.*

1651. Parisiis, in 8vo, et

1657. Gratianopoli, in 8vo.

1660. Gallice Scholae Salernitanae praecepta prodierunt, *Martino* versionis auctore, Rhotomagi, apud *Antonium Ferrand*, in 8vo.

Renati Moreau editionem editor sequutus est. Versionem malam esse carminisque sensum non vbique exprimere, notatur in praefatione ad Gallicam versionem 1749 editam. *Guidoni Patino* versiculos gallicos, satis ridiculos tribui, *Hallerus* notat.

1669. Parisiis editio prodiit cum Gallica versione, cum *Jacobi du Four de la Crespeliere.*

Textum pleniorem dedit, *Morelli* forsan. Versio simul commentarii loco inservit, mo-

I 2 nen-

nente auctore Gallicae versionis mox citatae pag. 7. Non plenam esse hanc editionem *Hallerus* notat.

1671. *Commentaire en vers sur l'Ecole de Salerne, contenant les moyens de se passer de médicin et de vivre long-tems en santé, avec une infinité des remedes, contre toutes sortes de maladies; avec un traité des humeurs et de la saigneé, par Mr. D. F. C.* (*Jacobum du Four de la Crespeliere*) Parisiis, apud *Aegidium Alliot*, in 8vo.

Pleniorem esse priore *Hallerus* notat.

1743. *L'art de conserver sa santé composé par l'ecole de Salerne. Traduction nouvelle en vers Francois, par Mr. B. L. M. a la Haye, chez Jean van Düren in 8vo.* 104 pag. *) Et

1749. *L'art de conserver sa santé, composé par l'école de Salerne, avec la traduction en vers françois, par Mr. B. L. M.* A Paris, chez le Prieur in 8vo. 37 et 77 pag. *)

Praefatio quaedam ad historiam studii Salernitani continet, non vero alia, nisi quae *Renatus Moreau*, quem etiam in carmine edendo sequutus est editor, jam dixerat. Versionum Gallicarum historia non male enarratur.

c) *Anglicae.*

1530, et

1541. Londini Anglice regimen sanitatis Salernitanum prodiit, vertente *Thoma Paynell*, in 4to. *Haller.*

1607. Londini, in 8vo. *Bibl. Bodlejan.* pag. 128.

1624. Translated in to Englisch verse. Londini, in 8vo.

1634. Londini, in 4to, versionis auctore R. H. *Bibl. Bodlejan.* p. 128.

1667. Londini, in 8vo, Anglica versio repetita est, versionis auctore R. H. *Haller.*

d) *Italicae.*

1549. Venetiis in 12mo titulo: *Opera vtilissima di conservare la sanita.* *)

1566. Venetiis, in 4to Italice, studio *Jo. Francisci Lombardi. Haller.*

1587. Perugiae, per Piergiacomum Petrucci impressum, titulo: *Scuola Salernitana. Del modo di conservar si in sanita, transportata di Latino in volgare Toscano (da Frà Serafino Razzi)* in 8vo. *Cat. della Libreria Capponi*, pag. 347.

1662. Venetiis, apud Brigoncium, titulo: '*Scuola Salernitana — tradotta dal verso Latino in terza rima: col trattato della vita sobria di Luigi Cornaro.* in 8vo. *Cat. della* Libr. Cappon. p. 347.

1712. Parmae, in 8vo. Est repetitio editionis Fr. Lombardi.

1733. Venetiis, in 8vo, titulo: *La scuola Salernitana dilucidata: o sia lo scovrimento del vero e del falso, del utile e del inutile di questa stimatissima operà, per sapersi conservar sano, e prolungare la vita, spiegandosi tutto sul buon gusto moderno. Opera di Fulvio Gherli, Citta dino Modonese ed al presente Proto - Medico dell Altezza Sereniss.*

del Sig. Duca di Guastalla. In Venetia presso Giuseppe Corona. 523 pag. *)

Vniversum opus 523 paginarum ex dialogis constat. Historiam brevissimam Salernitani studii dialogus I. continet. Versus Salernitani Italico tantum sermone leguntur.

e) *Belgicae.*

1658. Amstelodami in 12mo, belgice, vertäelt door J. G.

f) *Bohemicae.*

1721. Posonii regimen sanitatis Salernitanum prodiit Bohemice et latine in 12mo. *Haller.*

Similis cum Salernitano sanitatis regimine argumenti librum, Hebraico sermone conscriptum et ex Salernitano regimine forsan compositum, quem ex *Wolfii* bibliotheca hebraica memorat *Fabricius* in bibl. lat. tom. III. Lib. IV. cap. 12. pag. 883, non vidi.

Anno 1566. *Joannes Franciscus Lombardus,* regimen sanitatis Salernitanum castigatius, expurgatis praesertim versibus rhythmicis edidit, et quidem in hoc opere: *Joannis Francisci Lombardi, Neapolitani, eorum, quae de balneis aliisque miraculis Puteolanis scripta sunt, synopsis, adjectis balneis Aenariarum, nec non locis obscurioribus scholiis. Insuper addita sunt in calce tria opuscula medica: Cl. Galeni libellus, quos, quibus et quando purgare oporteat. Hippocratis Coi jus jurandum. Scholae Salernitanae versus, eodem auctore.* Prima editio ante annum 1566. prodiisse videtur: denuo

denuo recognita ab auctore ea eſt, quae Venetiis, anno 1566, in 4to, impenſis *Anelli Sanviti* prodiit. Eadem editio in *Italiae illuſtratae* opere, Francofurti, anno 1600, in folio, repetita legitur, quae emendatior auctiorque in quarta parte noni tomi *theſauri antiquitatum et hiſtoriarum Italiae a P. Burmanno* editi iterum occurrit.

Verſus quosdam, vt exemplum quoddam hujus operis lectores habeant, apponam. Primi carminis verſus hi ſunt:

Anglorum Regi ſcribit ſchola tota Salerni,
Si cupis incolumem et ſanam traducere vitam,
Curas tolle graves motus ferventis et irae,
Parce mero, ſit coena brevis tibi, ſurge parumper
Poſt epulas, mediae ſomnumque propelle diei:
Comprime veſicae, pariter nec pondera ventris.
Haec ſi ſervabis, per ſaecula plurima vives.
Si deſint medici, hos canones ſervare memento,
Praeſtantis medici poterunt qui munere fungi,
Mens ſit laeta, quies, mediocris regula victus.
E lecto ſurgens abſtergas lumina lymphis,
Huc illucque mees, cunctis moderamine rebus
Servato, extendasque parum tua membra, capillos
Pectito; mox dentes munda: namque iſta cerebrum
Membraque confortant, poſt balnea ſumta calore
Membra fove: haud ſtudeas poſt prandia: frigidus et ſi
Forte eris, haud ſubito, paulatim at ſume calorem.

Vltimi carminis verſus hi ſunt:

Ver, autumnus, hyems, aeſtas ſunt quatuor anni

Tempora, quae vitae menfurant faecula noftrae:
Aer temperie pollet per tempora veris.
Conjugii ratione licet quandoque vocetur
Humectum ac calidum, docto referente Galeno
Tempore quo utiliter confert incidere venam
Et Veneris coitu, mediocriter attamen, vti:
Balnea cum motu, fudorque, folutio ventris,
Pharmaco at aeftivo fub caumate Sirius ardet.
Quum rapidus fqualetque folum fervore caloris
Copia tunc bilis rufae eft in corpore noftro,
Frigida fic opus eft atque humida fercula dentur
Balnea pellantur, nullus fit Cypridos vfus,
Munere fed proprio ceffent genitalia fungi
Membra: incidatur rarenter vena, quiesque
Vtilis eft, parcus potus moderamine fiat.
Haec funt, quae fcripfit Regi fchola dicta Salerni
Dogmata, quae totum luftrant per faecula mundum
Teftentur ftudia antiqui vt permagna Salerni.

III.

III.

De versibus rhythmicis et carmine Leonino dissertatio.

Humani ingenii natura haec est, vt naturali quodam atque innato nobis studio ad ea feratur quae placent atque sensus grato quodam modo afficiunt, vt tersa minus tersis, comta incomtis praeferat et pulchra quaerat: vt vero, quae pulchra sunt, quae comta, quae tersa, secundum saeculi morem communemque in his rebus gustum aestimet. Eoque modo omnia cum scientiarum tum artium genera plurimas vicissitudines experta sunt: minus placebant optime facta, ob saeculi morem, magis rudiore Minerva elaborata factaque, dum modo saeculi gustus ea probaret. In barbaris medii praesertim aevi temporibus a prisco cultu descitum est, non quoniam ingenia hominibus deerant, verum ingeniis exempla.

Summum cultus gloriaeque fastigium poetica Graecorum et Romanorum attigerat. Temporibus vero non longe ab his remotis, quibus poetica ars Romanorum immortalia sua monumenta emiserat, sensim alius carminum conficiendorum modus invaluit, quo puritati versuique ipsi minor, numero vero,

rhythmum vocant, major cura impendi solebat. Idque poesos genus, priscis, vt videtur, non ignotum quidem, verum parum, saltim in provectiore artis poeticae aetate vsitatum, jam saeculo IV. cultores quosdam habuit, sequentibus vero temporibus, ab octavo praesertim saeculo, magis invaluit, composito quippe facilius et musicis concentibus accommodatius versuum scilicet similiter cadentium, concordantium, adsonantium atque consonantium, sive, vt eos generali hoc vocabulo complectar, rhythmicorum, qui generatim metrum, sive temporum atque pedum observationem non requirebant, verum sonorum concentum aliquem habebant atque aut ob consonantes assonantesve vniversos versus, aut ventres caudasve, harmoniam quandam audientibusque voluptatem creabant.

Idque ignobilius atque plebejum poeseos rhythmicae genus antiquioribus jam temporibus vsitatum agros colentibus atque inferioris culturae hominibus, quibus sese post labores suos peractos mutuo exhilarabant atque alternis versibus, quales ingenium mox suggerebat, sese feriebant a), sequentibus temporibus,

a) Fescennina haec carmina, sive, vt interpretes volunt, jocularia, ab omnibus fere auctoribus ceu prima et antiquissima carminum rhythmicorum, qualia vulgus fundere solebat, non meditatorum, exempla adferuntur. Qualia fuerint quosque jocos fuderint *Horatius* II. Epist. 1, vers. 139 et seq. copiose enarrat. cf. simul praeclaras adnotationes ad hunc locum, quas dedit *Wieland*, V. Ill. in Epistolis Horatii in vernaculam versis Part. II. pag. 104. Sed an rhythmica fuerint atque hoc vel illo modo adsonantibus versibus componi solita, incertum. Primas poeticem Romanam ab iis origines habuisse admodum credibile est. *Ennius*,

bus, cum meliorum carminum exempla rara essent, ad cultiores etiam homines transiit omnemque fere metricam poesin praefocavit. Sunt qui nobiliores etiam veteres poetas tales jam versus cum rhythmo composuisse putent, et quidem vario modo aut concordantes, aut consonantes. Sic notissimi versus TULLII sunt, a QVINCTILIANO b) memorati

Cedant arma togae: concedant laurea linguae:
O fortunatam natam me consule Romam.

OVIDII.

Quot coelum stellas, tot habet tua Roma puellas.

AVSONII.

Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti.

Versuum versibus concordantium atque consonantium exempla CICERO quaedam attulit. Sic in Tusculanis quaestionibus:

Coelum mitescere, arbores frontescere,
Vites laetificae pampinis pubescere,
Rami baccarum vbertate incurvescere.

Et ENNII, quos CICERO refert:

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Jovis aram sanguine turpari.

HORA-

nius autem, antiquissimus Romanorum poeta, cujus fragmenta nobis supersunt, versus fecit, quorum vltimae syllabae (voces vltimas fere lubentius dixerim, vt exemplum mox enarrandum docet,) consonabant. Si vero *Ennius* exempla, quae coram habebat, carminum agrestium sequutus est, versus priscorum agricolarum rhythmum quendam habuisse vero non absimile est.

b) Quinctil. L. XI. cap. 1.

Horativs adeo in arte poetica hos versus optime consonantes habet.

Non satis est pulchra esse poemata: dulcia sunto,
Et quaecumque volent, animum auditoris agunto.

Vt alia exempla ex optimis poetis omittam. His vero me non opponam, qui hos versus casu quodam poetis antiquis excidisse censent. Docere tamen puto Ennii versiculos, in incunabulis veteris latinae poeseos, vti in medio aevo ejusdem renascentis versus ὁμοιοτελευτὲς hos fuisse, quos aures voluptate maxima afficere eorum auctores putaverint.

Hos versus, Leoninos dictos, ob leonis caudae similitudinem, vt quidam satis inepte putarunt, Leo quidam invenisse fertur. Eum *Leonem* alii IV. fuisse putant, Romanorum ab anno DCCCXLVII. Pontificem c) alii vero *Leonem* poetam, quem Aegidivs Parisiensis in Carolino memorat coaevum suum, quique adeo vltimis saeculi XII. temporibus vixit. d) Verum parum firma haec sunt et nominibus tantum convenientibus versuum et hominum innituntur. Neque Leonini versus aliique consonantes concordantesque saeculo demum IX. aut XII, sed temporibus his superioribus jam confici consueverunt.

Causa forsan, quae effecit, vt in carminibus latinis conficiendis viri docti in medio aevo florentes a pris-

c) cf. *Saxii* onomast. literar. Tom. II. pag. 117.

d) cf. *Du Cange* glossar. med. et infim. latinitat. sub voce *versus Leonini*. *Renat. Moreau* Prolegom. in schol. Salernit. cap. 4. pag. 26.

prisca metri severitate desciscerent, non versum observantes, sed rhythmum quaerentes atque in vltimis aut mediis versuum syllabis harmoniam quandam atque concordantes sonos, non vna esse videtur. In Italia, quod et MVRATORIVS e) annuit, hoc poeseos genus primum invaluit. Si vero carmina similes rhythmos habentia inferioris sortis homines Romani rusticique HORATII temporibus ex antiqua consuetudine fecerunt, et Fescennini HORATII versus non fuerunt amoeboei, nostris adhuc temporibus inter ruricolas Graecos Italosque vsitati, facile haec consuetudo agricolarum ad sequentia tempora transire clericisque primis in hoc carminis genere versificatoribus, qui consuetudinem crebram cum hujus sortis hominibus habebant, communicari potuit.

Ipsi etiam musici concentus instrumentalisque musices cum vocali connubium temporibus antiquissimis in aedibus christianorum divino cultui consecratis introductum, non parum ad rhythmicos atque consonantes, adeoque musicis modulationibus magis idoneos versus contulisse videtur. Quanti haec musicae sacrae pars, quae in cantandi artificio consistebat, his temporibus fuerit aestimata, ex testimoniis jam intelligitur, quae supra adduximus. Qui in hac excellebant, ob hanc artem magis, quam ob reliquas scientias, laudabantur, neque si sciens aliquis rerum variarum memoratur, cantandi et psallendi peritia omittitur.

e) Differt. de rhythmica veterum poesi et origine Italicae poeseos in tomo III. differt. ad antiq. Ital. medii aevi, diss. XL. pag. 664. seqq.

tur. Sic ALPHANVS, Salernitanus archiepiscopus, non solum ob scientiam suam medicam aliasque, verum etiam ob miram cantandi peritiam suam celeberrimus erat. Cantuum magistri jam CAROLI MAGNI temporibus extabant ipsique principes viri peritos in hac arte magni aestimabant. CAROLO MAGNO, petenti mittebantur, ECKARDO ST. GALLENSI narrante, PETRVS et ROMANVS, vtrique Itali, cantuum et septem liberalium artium magistri f), vocabanturque adeo, qui versus facere et canere possent, in Galliam, vt scientias restaurarent g). Musices adeo scientia septem artibus liberalioribus adscribebatur, eaque musica non ea tantum erat, quae ex instrumentis sonos varie concordantes atque aurem grate afficientes elicere docebat, sed ea etiam, quam vocalem vocant, cantandi atque psallendi peritia. Hymni vero sacri, vt et instrumentali musicae melius responderent et harmonia quaedam gratusque soni, quem instrumenta vocesque hominum emittebant, concentus nasceretur, simulque clericorum memoria non nimium fatigaretur, sensim in rhythmorum modum confici coeperunt. Antiquissimis hujus generis rhythmis psalmus adscribendus est contra partem Donati, quem S. AVGVSTINVS circa annum CCCXCIII elaboravit, in quo, vt ab imperitis et idiotis cantari posset, et rhythmus erat, et singulis rhythmis litera sua initialis eo ordine, quo in alphabeto prostant. De hoc psalmo ipse AV-

GVSTI-

f) Ex *Tiraboschio* haec retulit *Jagemannus* Vol. III. part. I. pag. 13.

g) *Jagemann.* Vol. III. P. I. pag. 54. 55.

GVSTINVS ſcribit: *Pſalmum, qui ab imperitis et idiotis cantaretur, per latinas literas feci. Tales autem A. b. c. darios vocant.*

In hac ſane ſententia, verſus ſcilicet Leoninos rhythmosque in latino carmine ob ſacram muſicam primum eſſe introductos, quod permaneamus, multa nos eaque graviſſima argumenta movent: monachorum cantandi atque pſallendi ſtudium, hominum ingenia parum culta, quibus ſemper magis placent, quae aures afficiunt, quam quae ingenii labores requirunt, meliorum exemplorum defectus, vulgi etiam ad tales verſus et faciendos, et diſcendos, et in memoria retinendos propenſio. Quodſi vero haec non penitus placuerit, multa ſunt eaque graviſſima argumenta, quibus evincitur, ad hactenus enarratas rhythmicae poſeos cauſas alias etiam, easque valentiſſimas; plurimum contuliſſe.

In Europae non vna parte, inprimis vero in Italia per aliquot ſaecula Saraceni ſedem habuerunt, iique ſecum artes ſuas literasque in has terras, quibus erant potiti, attulerunt et doctrinae ſuae fama alios quoque, vt in ſcholis ſuis literas diſcerent, permoverunt. Si vero negari etiam non poteſt, Italos verſus rhythmicos ante Saracenorum incurſus habuiſſe, tamen num caſu poetis exciderint, aut ſtudio fuerint confecti, incertum eſt: rhythmici ſaltim verſus, qui puriorem rhythmum et probe conſonantem habent, ante octavum nonumve ſaeculum vix confecti eſſe videntur: temporibus vero, quibus Saraceni Italiae partes multas tenebant, et mox poſt ea copioſiora et cum puriore et magis bario rhythmo carmina confici

coepe-

coeperunt. Mvratorivs ſane, vir doctiſſimus et in antiquitatum Italicarum ſcientia nulli ſecundus, data opera plurima probare ſtudens Leoninos verſus Leone Gallo, ſaeculi XII. poeta, antiquiores eſſe, antiqua quidem eorum veſtigia, attamen inprimis ante ſaeculum IX. valde incerta reperit. Epitaphia enim, hominibus his temporibus fato functis poſita his verſibus, quae fere vnica rhythmicorum et Leoninorum verſuum ex his temporibus monumenta ſunt, a recentioribus quoque verſificatoribus confici potuere. Si vero, quod indubium eſt, hoc rhythmicorum carminum genus jam notum erat temporibus, quibus Arabes ſedem in Italia figebant, non vero pervulgatum, neque praeter rudiora et minus compoſita rhythmorum genera Itali alia callebant, rhythmos forſan conficiendi artificium et plurima incrementa per Arabes cepit et per eos magis vulgatum eſt. Apud Arabes enim rhythmica carmina antiquiſſimae originis ſunt. Alcoranum enim non ſolum Mohammedes in rhythmicorum verſuum peculiari genere conſcripſit, quo ſinguli verſus ſyllaba ex iisdem literis compoſita terminantur h), hoc modo, vt ſi vnus isque primus verſus cum ſyllaba: *una* vel *ina* clauditur, omnes reliqui eodem modo terminentur i), verum etiam longe

h) conf. inprimis ſuram XV.

i) Similia carmina medium aevum habuit. Ex *Floreto* verſus ſequentes excerpſit *Renatus Moreau* proleg. in ſchol. Salern. pag. 34.

Qui peccat nimium praeſumens de pietate,
Vel qui deſperat de divina bonitate,
Aut induratus non ceſſat ab impietate,
Et qui fratris odit virtutes improbitate, caet.

ge antiquiora carmina Arabica proſtant, in quibus rhythmi ſtrictim obſervati ſunt et varietatem multam modosque non paucos habent, qui cum latinorum, et qui inde forſan nati ſunt Germanorum aliarumque linguarum rhythmis artificioſioribus penitus conveniunt. Sic apud SCHVLTENSIVM k) admodum antiqua carmina occurrunt, quae rhythmum habent primumque quod in SCHVLTENSII collectione locum occupat, carmen, et JORMIDORI principi adſcribitur, qui SALOMONIS temporibus vixiſſe fertur l), rhythmos habet.

Non vnum eſt, quod adduxi, rhythmorum genus, quo Arabes vſi ſunt: multa habuerunt, quae cum latinorum rhythmis, quos Germani aemulati ſunt, optime conveniunt adeoque conjecturam de rhythmorum artificio per Arabes aucto confirmant. Syllabis enim in literas easdem terminantibus non ſemper verſus terminaverunt, vt MOHAMMEDES in Corano fecerat, ſed in aliis carminibus m) verſus quidem rhythmo vnico et cadente ſimiliter, verum ſyllabis diverſis, clauſerunt, ita vt ſyllaba e. g. *ha* conſonet in ſequentibus verſibus ſyllabis: *da*, *ga*. Non raro, quod etiam Latini interdum fecerunt, carmini αρυθμω verſus rhythmicos interpoſuerunt et quidem cum ordine quodam. Conſonant ſubinde primi tertiique carminis verſus, altero quartoque minime conſonantibus.

Aliud

k) monumenta vetuſtioris Arabiae, pag. 13 et ſeq.
l) monum. vetuſt. Arab. p. 1, 2.
m) cf. *Hamaſa* Carm. 20.

Aliud rhythmi artificium Arabes adhuc habuere, quo voces, quae iisdem vocalibus aut consonantibus literis terminantur, per vniversum carmen perducebant. Carmen lamdale TOGRAI, a POCOCKIO editum saeculoque XII. compositum, rhythmum habet, quo primus tertiusque versus semper cum Syllaba: *li* clauditur, e. g.

chatuli — chelali.
atali — dschadsali.
taphali — dsoboli.
dschamali — adsali.

Hic vero consonantium vocum vsus in fine versuum, creber apud Arabes atque varius, multos eosque gravissimos viros n) eo induxit, vt rhythmicam vniversam et Latinorum et occidentalium gentium aliarum poesin ab Arabibus repeterent putarentque consonantium in versuum fine vocum vsum imitatione Arabum poetarum in alias linguas omnes transiisse, Normannos ab Arabibus hunc vsum primum accepisse, qui deinde ad alias gentes decesserit. Sed haec sententia difficultatum non expers est. Ut non memorem Hispaniam, in qua saeculo jam ineunte VIII. sedem sibi fecerant, Saraceni, quae tamen rhythmos serius accepisse videtur, quam Italia, in quam eadem gens post elapsum integrum saeculum venit, antiquiora et certe non ab Arabibus profecta exempla rhythmicae poese-

n) *Huetius* de orig. fabul. Romanens. *Muratorii* diss. de rhythmica veterum poesi et Italicae poeseos origine in diss. ad antiq. Ital. medii aevi XL. Tom. III. pag. 706, C.

poeseos latinum carmen exhibuit, vt adeo concedam quidem, rhythmorum artificium atque compositionem Arabicorum carminum exemplo admodum esse multiplicatam, per haec vero carmina primum esse introductam non putem. Nec aliae linguae ex latina natae rhythmum nisi per latinam ipsam accepisse videntur. Theodisca vero et septentrionalium gentium aliae linguae, quae antiquissimos suos poetas habuerunt, vix alia carmina habere potuerunt, quam consonantia, adeoque rhythmica: metrum sane majores nostros in barbarie sua observasse nullo modo credibile est, rhythmum vero quaesivisse vtique credibile. o) Septentrionales vero gentes aliae antiquissimos suos poetas Scaldos habebant, quos consonantes in fine versus fecisse pariter vero non absimile est.

Variae itaque causae effecisse videntur, vt antiquorum metro neglecto rhythmizandi, quam vocabant, ars in medio aevo coleretur carmenque eo praestantius esse putaretur, quo magis versus versui aut consonaret, aut concordaret. Hos versus generatim rhythmicos vocabant, Leoninos vero, in quibus aut venter versus caudae adsonaret, aut caudae, subinde etiam ventres, duorum aut plurium versuum consonarent, aut denique syllabae versuum aut omnes, aut saltim plurimae, eaeque maxime in aurem cadentes consonarent. Ex his generibus multa alia $\alpha\nu\omega\mu\alpha\lambda\alpha$ nata

o) cf. praeclarum librum *Hummelii*, scholarum Altorfinarum Rectoris meritissimi, viri doctissimi mihique amicissimi *Compendium der deutschen Alterthümer.* Nürnberg, 1788. cap. VII. §. 12. p. 111.

nata sunt. Primum alterumque genus, in quo primus scriptor THEODVLVS presbyter fuisse fertur p), qui anno CCCCLXXX vixisse a quibusdam dicitur, ab aliis vero saeculo X q), id est, in quo regimen sanitatis scholae Salernitanae conscriptum est. Ad primum genus hi versus pertinent.

Temporibus veris modicum prandere juberis.
Salvia cum ruta faciunt tibi pocula tuta.

Ad alterum tertiumque, quod vero rarius in regimine sanitatis Salernitano occurrit, et quidem ad alterum:

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas tolle graves, irasci crede profanum,
Parce mero, coenato parum, non sit tibi vanum
Surgere post epulas, somnum fuge meridianum, caet.

Ad tertium:

Lac nutritivum plus omnibus est asininum,
Plus nutritivum vaccinum sic et ovinum.

Et his quidem versuum Leoninorum generibus regimen sanitatis scholae Salernitanae conscriptum est. Non quidem omnes in Salernitano carmine versus Leonini sunt, interspersi quoque sunt hexametri *αρυθμοι*, interdum pentametri, raro alii nulli certo metro adstricti, sueto his temporibus more: prostant enim exempla etiam non pauca, qualia quaedam in AEGIDII CORBOLIENSIS carmine supra memoravimus, versuum

p) *Ren. Moreau* in prolog. ad schol. Salern. cap. 4. p. 28.

q) Et quidem magis vere cf. *Leyseri* historia poetarum et poematum medii aevi pag. 293.

ſuum Leoninorum carmini hexametrico inſperſorum.

Κοιλιαπτωτοι verſus hexametrici Leonini vtplurimum erant, exemplo eorum, quos regimen ſanitatis Salernitanum copioſiſſimos habet. Sic, vt alia quaedam exempla adferam Rogerii Siciliae comitis epitaphium hoc eſt:

Linquens terrenas, migravit Dux ad amoenas
Rogerius ſedes, nam coeli detinet aedes.

Subinde, etſi rarius, pentametri Leonini verſibus iisdem hexametricis additi reperiuntur. Quaedam hujus generis exempla regimen ſanitatis Salernitanum habet. In brephotrophio Mediolanenſi, a Datheo Archipreſbytero anno DCCLXXXVII. fundato, haec leguntur r):

Sanĉte memento Deus, quia condidit iſte Datheus
Hanc aulam miſeris auxilio pueris.

Ventres et caudae in verſibus conſonant, qui in epitaphio Alberti, Abbatis Miciacenſis, leguntur, qui anno MXXXVI. fato funĉtus eſt s).

Hic jacet Albertus quondam regalia ſpernens,
Prudens atque pius, tantum coeleſtia cernens:
Mundi divitias cum regali ditione
Gemetica primas ſprevit pro religione.

Et in rhythmo *ſuper ſalutatione Angelica*, quem confecit circa annum MLV Petrvs Damiani, Oſtienſis

r) Murator. diſſ. XL. Tom. III. pag. 699.
s) ibid. pag. 700.

epiſcopus, in quo verſus Leonini, et quidem, vt MVRATORIVS vult, perfecti, hi occurrunt t).

Ave David filia, ſancta mundo nata,
Virgo prudens, ſobria, Joſeph deſponſata,
Ad ſalutem omnium in exemplum data,
Supernorum civium conſors jam probata,
Maria, miſeria per te terminatur,
Et miſericordia per te revocatur.

Carmine 64. ad eandem Mariam virginem ita canit:

O miſeratrix, o dominatrix, praecipe dictu,
Ne devaſtemur, ne lapidemur, grandinis ictu.

Cum his conveniunt rhythmi PETRI Abbatis Cluniacenſis quos MVRATORIVS dedit u), de reſurrectione Domini:

Lumen clarum
Tenebrarum
Sedibus reſplenduit,
Dum ſalvare,
Recreare,
Quod creavit, voluit:
Hinc creator,
Ne peccator
Moreretur, moritur.
Cujus morte.
Nova ſorte
Vita nobis oritur.

Ad idem plane genus pertinet hymnus HARTMANNI, monachi San-Gallenſis, qui anno DCCCLXX floruit:

Tribus ſignis
Deo dignis
Dies iſta colitur.

Tria

t) Murat. diff. XL. tom. III. p. 700. u) ibid. pag. 700.

Tria ſigna
Laude digna
Coetus hic perſequitur.
Stella magos
Duxit vagos
Ad praeſepe Domini, caet.

Hos Leoninos verſus metrum nullum habere, verum egregie conſonare, adeoque ad ſacros cantus admodum aptos fuiſſe nemo non intelligit. Multi etiam cantus ſacri quos Lvthervs germanicos ex latino fecit, eundem in vernacula modum (melodiam vocant) retinuerunt, cantusque modulationes ſacras, quibus nos vtimur, a Leoninis iſtis latinis carminibus ortum duxiſſe vero non abſimile eſt. Hymnus ſane Hartmanni alius, cujus verſiculos aliquot legere hic non pigebit, in vernacula cum latinis verſibus optime conſonat:

Cum natus eſſet Dominus,
Turbatur rex incredulus,
Magi tulerunt munera,
Quos ſtella duxit praevia.

Verſiculi etiam memoriales, vt facile in memoria retineri poſſent, multi rhythmici compoſiti ſunt. S. *Bernardo* hi verſiculi adſcribuntur:

Dum me mori eſt neceſſe,
Noli mihi tunc deeſſe:
In tremenda mortis hora
Veni, Jeſu, absque mora.

Hujusque generis alios rhythmos olim ipſe legi in antiquo ſacello, quod non longe ab eccleſia montana

Schleitzensi, quae Xmo saeculo post Christum condita dicitur, distat:

Aspice mortalis, pro te datur hostia talis.
Quando sedes, stas et jaces,
Quando loqueris et taces,
Fessus cum quieveris,
Christum geras, in quem speras,
Crucifixum corde geras,
Ubicunque fueris.

Alium rhythmum LANDVLPHVS SENIOR, historicus Mediolanensis, protulit, in fine libri primi Mediolanensis historiae, a MVRATORIO x) primum editae, cujus strophae priores duae ita sonant:

Jesu Christe, splendor patris, via, veritas et vita,
Omnium redemptor pie cunctorum aequitas:
Universos, qui te quaerunt, tua replet charitas.
Deus pater, Verbum patris, Spiritus paraclitus,
Tres personae, vnus Deus, semper individuus,
Cuncta regens, et coercens, sedens vt altissimus.

Epitaphium PACIFICO, Archidiacono Veronensi, viro doctissimo positum, qui anno DCCCXLVI vivere desiit, eosdem rhythmos habet y):

Quidquid auro, vel argento, et metallis caeteris,
Quidquid lignis ex diversis et marmore candido,
Nullus unquam sic peritus in tantis operibus:
Bis centenos terque senos codicesque fecerat.
Horologium nocturnum nullus ante viderat.

En

x) Script. rer. Ital. tom. IV. pag. 68.

y) Ex *Tiraboschio* hoc dedit *Jagemannus*, V. Cl. Vol. III. part. I. pag. 82. 83.

En invenit argumentum et primus fundaverat.
Gloſſam veteris et novi teſtamenti poſuit.
Horologioque carmen ſphaerae coeli optimum.
Plura alia graphiaque prudens inveniet.

Haec de hoc rhythmi genere ſufficiant. In aliis quoque verſibus plures partes ſibi conſonant, v. g. in diſticho iſto vulgari:

O Walachi, veſtri ſtomachi ſunt amphora Bacchi,
Vos eſtis, Deus eſt teſtis, teterrima peſtis.

Eodem fere modo conſonant verſus, quos in Cumlbitzenſi quondam monaſterio legit RENATVS MOREAU z), ad imaginem Chriſti in cruce pendentis:

Aeneus hic coluber, cruce luguber, ipſe ſaluber,
Atque cruore ruber, vitae faber, omnibus vber,
Omne fugans tuber et vitae vexile ſuber,
Hunc puer, hunc puber nunc ſugat canus et vber

Ad ſumme concordantes atque conſonantes hi verſus pertinent:

Et canis in ſylvis venatur et omnia luſtrat.
Et lupus in ſylvis nutritur et omnia vaſtat.

Et in his omnes fere ſyllabae conſonant:

Quos	anguis	dirus	triſti	mulcedine	pavit,
Hos	ſanguis	mirus	Chriſti	dulcedine	lavit.

Quaedam alia adhuc rhythmorum genera adducam et per exempla illuſtrabo. Verſus inter ſe et cum caudis alternatim conſonantes THEODVLVS, quem ſupra nominavi, in libro: *de contemptu mundi* hos habet:

Pauper amabilis et venerabilis eſt benedictus:
Dives inutilis, inſatiabilis eſt maledictus.

z) Proleg. in ſchol. Salern. cap. V. p. 35.

Qui bona negligit et mala diligit, intrat abyssum,
Nulla pecunia, nulla potentia liberat ipsum:
Irremeabilis, insatiabilis illa vorago,
Hic vbi mergitur, horrida cernitur omnis imago.
Haec cruciamina per sua crimina promeruere
Vir miserabilis. Evaque flebilis haec subiere.
Jussa Dei pia, jussa salubria si tenuissent,
Vir neque foemina, nec sua semina, morte perissent
Sed quia spernere jussaque solvere non timuere,
Mors gravis irruit, hoc merito fuit et periere. rel.

Concordantes versus vocat Renatus Moreau, qui voces habent vel rhythmos communes duobus versibus aut pluribus. Hujusmodi ex eodem Theodulo hi sunt:

<table>
<tr><td rowspan="3">In re terrena {</td><td>nihil aliud est nisi poe-</td><td rowspan="3">} na, rel.</td></tr>
<tr><td>labor eminet atque cate-</td></tr>
<tr><td>nec lex, nec juris habe-</td></tr>
</table>

Sive satis vulgati isti:

<table>
<tr><td rowspan="12">Dum manducatis, {</td><td>vultus hilares habe-</td><td rowspan="12">} atis.</td></tr>
<tr><td>sal cultello capi-</td></tr>
<tr><td>quid edendum sit ne pet-</td></tr>
<tr><td>non depositum capi-</td></tr>
<tr><td>rixas, murmur fugi-</td></tr>
<tr><td>membra recte sede-</td></tr>
<tr><td>mappam mundam tene-</td></tr>
<tr><td>ne scalpatis, cave-</td></tr>
<tr><td>nullis partem tribu-</td></tr>
<tr><td>morsus non rejici-</td></tr>
<tr><td>modicum, sed crebro bib-</td></tr>
<tr><td>grates Christo refer-</td></tr>
</table>

RE-

REGIMEN SANITATIS SALERNI.

De remediis generalibus. Caput I.

Anglorum regi ſcripſit tota ſchola Salerni:
Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum,
Curas tolle graves: iraſci crede profanum,
Parce mero, coenato parum: non ſit tibi vanum
Surgere poſt epulas: ſomnum fuge meridianum:
Non mictum retine, nec comprime fortiter anum.
Haec bene ſi ſerves, tu longo tempore vives.

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant
Haec tria: mens laeta, requies, moderata diaeta.

De confortatione cerebri. Caput II.

Lumina mane manus ſurgens gelida lavet aqua.
Hac illac modicum pergat, modicum ſua membra
Extendat, crines pectat, dentes fricet, iſta
Confortant cerebrum, confortant caetera membra.
Lote cale, ſta paſte, vel i, frigeſce minute.

De

14. *Minute* alii interpretati ſunt: vbi vena ſecta tibi fuerit, *Curio*, *Sylvius.* Ego omnem evacuationem ſubintellexiſſe carminis auctores puto. Alii adverbialiter vocem: *minute* ſumendam putant.

De ſomno meridiano. Caput III.

Sit brevis, aut nullus, tibi ſomnus meridianus.
Febris, pigrities, capitis dolor atque catarrhus
Haec tibi proveniunt ex ſomno meridiano.

De flatu in ventre incluſo. Caput IV.

Quatuor ex vento veniunt in ventre retento:
Spaſmus, hydrops, colica, vertigo: quatuor iſta.

De coena. Caput V.

Ex magna coena ſtomacho fit maxima poena.
Ut ſis nocte levis, ſit tibi coena brevis.

De diſpoſitione ante cibi ſumtionem. Cap. VI.

Tu nunquam comedas, ſtomachum niſi noveris eſſe
Purgatum, vacuumque cibo, quem ſumſeris ante.
Ex deſiderio poteris cognoſcere certo:
Haec tua ſunt ſigna, ſubtilis in ore diaeta.

De cibis melancholicis vitandis. Caput VII.

Perſica, poma, pyra, lac, caſeus et caro ſalſa,
Et caro cervina, leporina, caprina, bovina,
Haec melancholica ſunt infirmis inimica.

De cibis bene nutrientibus. Caput VIII.

Ova recentia, vina rubentia, pinguia jura,
Cum ſimila pura naturae ſunt valitura.

De

25. *Subtilis diaeta*, parva cibi exhibitio. Alii libri *ſaliva* legunt, et non male. Teutonica verſio antiquior hanc lectionem ſequuta eſt:

Das wirſt du merken ſelbſt an dir,
Aus dünner ſpeichel und eſſens begir.

De cibis bene nutrientibus et impinguantibus.
Caput IX.

Nutrit et impinguat triticum, lac, caſeus infans,
Teſticuli, porcina caro, cerebella, medullae,
Dulcia vina, cibus guſtu jucundior, ova
Sorbilia, maturae ficus uvaeque recentes.

De boni vini proprietatibus. Caput X.

Vina probantur odore, ſapore, nitore, colore:
Si bona vina cupis, haec quinque probantur in illis:
Fortia, formoſa, fragrantia, frigida, friſca.

De vino dulci et albo. Caput XI.

Sunt nutritiva plus dulcia candida vina.

De vino rubro. Caput XII.

Si vinum rubeum nimium quandoque bibatur,
Venter ſtipatur, vox limpida turbificatur.

Contra venenum. Caput XIII.

Allia, nux, ruta, pyra, raphanus et theriaca,
Haec ſunt antidotum contra mortale venenum.

De aere. Caput XIV.

Aer ſit mundus, habitabilis ac luminoſus,
Nec ſit infectus, nec olens foetore cloacae.

De

31. *Caſeus infans*, recens, non vetuſtus.

36. *Haec quinque.* Placet magis lectio: *baec quinque F.* ob ſequentia. Eam tamen quoniam antiquae editiones non habent, in textum non recepi.

37. *Friſca*, quae effuſa ſonitum edunt aerisque bullulas plurimas ad ſuperficiem emittunt. *Salientia* verſu 50 vocantur.

De nimia potatione vini. Caput XV.

Si tibi serotina noceat potatio; vina
Hora matutina rebibas, et erit medicina.

De meliore vino. Caput XVI.

Gignit et humores melius vinum meliores:
Si fuerit nigrum, corpus reddit tibi pigrum.
Vinum sit clarum, vetus, subtile, maturum,
Ac bene lymphatum, saliens, moderamine sumtum.

De cerevisia. Caput XVII.

Non sit acetosa cerevisia, sed bene clara,
De validis cocta granis, satis ac veterata.

De usu cerevisiae. Caput XVIII.

De qua potetur, stomachus non inde gravetur.

De temporibus anni. Caput XIX.

Temporibus veris modicum prandere juberis;
Sed calor aestatis dapibus nocet immoderatis.
Autumni fructus caveas ne sint tibi luctus.
De mensa sume, quantum vis, tempore brumae.

De potu pravo corrigendo. Caput XX.

Salvia cum ruta faciunt tibi pocula tuta,
Adde rosae florem, minuit potenter amorem.

De nausea marina. Caput XXI.

Nausea non poterit quemquam vexare marina,
Antea cum vino mixtam si sumserit illam.

61. *illam*, aquam marinam. *Undam* alii legere malunt.

De generali condimento. Caput XXII.

Salvia, ſal, vinum, piper, allia, petroſelinum,
Ex his fit ſalſa, niſi ſit commixtio falſa.

De lotione manuum. Caput XXIII.

Si fore vis ſanus, ablue ſaepe manus.
Lotio poſt menſam tibi confert munera bina,
Mundificat palmas et lumina reddit acuta.

De pane. Caput XXIV.

Panis non calidus nec ſit nimis inveteratus,
Sed fermentatus, oculatus ſit, bene coctus,
Modice ſalitus: frugibus validis ſit electus.
Non comedas cruſtam, choleram quia gignit
aduſtam.
Panis ſalſatus, fermentatus, bene coctus,
Purus ſit ſanus, quia non ita ſit tibi vanus.

De carnibus porcinis. Caput XXV.

Eſt caro porcina ſine vino pejor ovina:
Si tribuas vina, tunc eſt cibus et medicina.
Ilia porcorum bona ſunt, mala ſunt reliquorum.

De muſto. Caput XXVI.

Impedit vrinam muſtum, ſolvit cito ventrem
Hepatis emphraxin, ſplenis generat, lapidemque.

De potu aquae. Caput XXVII.

Potus aquae ſumtus fit edenti valde nocivus,
Infrigidat ſtomachum, cibum nititur fore cru-
dum.

De carnibus vituli. Caput XXVIII.

Sunt nutritivae multum carnes vitulinae.

De avibus esui aptis. Caput XXIX.

Sunt bona gallina, capo, turtur, sturna, columba,
Quiscula, vel merula, phasianus ortygometra,
Perdix, frigellus, orex, tremulus, amarellus.

De piscibus. Caput XXX.

Si pisces molles sunt magno corpore, tolles:
Si pisces duri, parvi sunt plus valituri.
Lucius et perca, saxaulis et albica, tinca,
Gornus, plagitia, cum carpa, galbio, truta.

De anguilla. Caput XXXI.

Vocibus anguillae pravae sunt, si comedantur,
Qui physicam non ignorant, haec testificantur.
Caseus, anguilla nimis obsunt, si comedantur,
Ni tu saepe bibas et rebibendo bibas.

De cibi et potus alternatione. Caput XXXII.

Inter prandendum sit saepe parumque bibendum:
Si sumas ovum, molle sit atque novum.

De

81. *sturna*, sturnus vulgaris *Lin.*

82. *Quiscula*, coturnix *Lin.* *Merula*, turdus merula *Lin.* *Ortygometra*, rallus crex *Lin.*

83. *Frigellus*, turdus iliacus *Lin.* *Orex*, tetrao bonasia *Lin.* *Tremulus*, motacilla alba *Lin.* *Amarellus*, mergus *Lin.*

86. *Lucius*, esox lucius *Lin.* *Perca*, perca fluviatilis *Lin.* *Saxaulis*, cobitis barbatula *Lin.* *Albica*, gadus morrhua *Lin.* *Tinca*, cyprinus tinca *Lin.*

87. *Plagitia*, pleuronectes platessa *Lin.* *Carpa*, cyprinus carpio *Lin.* *Galbio*, raja *Lin.* *Truta*, salmo fario *Lin.*

De piſis. Caput XXXIII.

Piſam laudare decrevimus, ac reprobare:
Pellibus ablatis eſt bona piſa ſatis
Eſt inflativa cum pellibus atque nociva.

De lacte. Caput XXXIV.

Lac ethicis ſanum caprinum, poſt camelinum,
Ac nutritivum plus omnibus eſt aſininum:
Plus nutritivum vaccinum ſit et ovinum:
Si febriat, caput et doleat, non eſt bene ſanum.

De butyro. Caput XXXV.

Lenit et humectat, ſolvit ſine febre butyrum.

De ſero. Caput XXXVI.

Incidit atque lavat, penetrat, mundat quoque ſerum.

De caſeo. Caput XXXVII.

Caſeus eſt frigidus, ſtipans, groſſus, quoque durus.
Caſeus et panis bonus eſt cibus hic bene ſanis:
Si non ſunt ſani, tunc hunc non jungito pani.

Caſeus de ſe ipſo.

Ignari medici me dicunt eſſe nocivum,
Sed tamen ignorant cur nocumenta feram.
Languenti ſtomacho caſeus addit opem,
Si poſt ſumatur, terminat ille dapes.
Qui phyſicam non ignorant, haec teſtificantur.

De

97. *ethicis*, phthiſicis.

De modo edendi et bibendi. Caput XXXVIII.

Inter prandendum ſit ſaepe parumque bibendum:
Ut minus aegrotes, non inter fercula potes.
Ut vites poenam, de potibus incipe coenam.
Singula poſt ova pocula ſume nova.
Poſt piſces nux ſit: poſt carnes caſeus adſit.
Unica nux prodeſt, nocet altera, tertia mors eſt.

De pyris. Caput XXXIX.

Adde potum pyro: nux eſt medicina veneno.
Fert pyra noſtra pyrus, ſine vino ſunt pyra virus:
Si pyra ſunt virus, ſit maledicta pyrus.
Si coquis, antidotum pyra ſunt, ſed cruda venenum.
Cruda gravant ſtomachum, relevant pyra cocta gravatum.
Poſt pyra da potum: poſt poma vade cacatum.

De ceraſis. Caput XL.

Ceraſa ſi comedas, tibi confert grandia dona:
Expurgant ſtomachum, nucleus lapidem tibi tollit,
Et de carne ſua ſanguis eritque bonus.

De prunis. Caput XLI.

Infrigidant, laxant, multum proſunt tibi pruna.

De perſicis, racemis et paſſulis. Caput XLII.

Perſica cum muſto vobis datur ordine juſto

Su-

Sumere, ſic eſt mos nucibus ſociando racemos.
Paſſula non ſpleni, tuſſi valet, eſt bona reni.

De ficubus. Caput XLIII.

Scrofa, tumor, glandes, ficus cataplaſmate cedunt.
Junge papaver ei, confracta foris tenet oſſa.
Pediculos veneremque facit, ſed cuilibet obſtat.

De eſculis. Caput XLIV.

Multiplicant mictum, ventrem dant eſcula ſtrictum,
Eſcula dura bona: ſed mollia ſunt meliora.

De muſto. Caput XLV.

Provocat vrinam muſtum, cito ſolvit et inflat.

De cereviſia et aceto. Caput XLVI.

Groſſos humores nutrit cereviſia, vires
Praeſtat, et augmentat carnem, generatque cruorem.
Provocat vrinam, ventrem quoque mollit et inflat.
Infrigidat modicum, ſed plus deſiccat acetum.
Infrigidat, macerat, melanch. dat, ſperma minorat,
Siccos infeſtat nervos, et pinguia ſiccat.

De rapis. Caput XLVII.

Rapa juvat ſtomachum, novit producere ventum,
Pro-

140. *melanch.* ob verſum.
144. *tortio*, ventris tormina.

Provocat vrinam, faciet quoque dente ruinam,
Si male cocta datur, hinc tortio tunc generatur.

De visceribus animalium. Caput XLVIII.

Egeritur tarde cor, digeritur quoque dure
Similiter stomachus, melior fit in extremitates.
Reddit lingua bonum nutrimentum medicinae.
Digeritur facile pulmo, cito labitur ipse.
Est melius cerebrum gallinarum reliquorum.

De semine foeniculi. Caput XLIX.

Semen foeniculi fugat et spiracula culi.

De aniso. Caput L.

Emendat visum, stomachum confortat anisum.
Copia dulcoris anisi sit melioris.

De spodio. Caput LI.

Si cruor emanat, spodium sumtum cito sanat.

De sale. Caput LII.

Vas condimenti praeponi debet edenti.
Sal virus refugat et non sapidumque saporat,
Nam sapit esca male, quae datur absque sale.
Urunt persalsa visum, spermaque minorant,
Et generant scabiem, pruritum, sive rigorem.

De

146. *melior sit in e.* Alii legunt: *Atque item stomachus, tamen exteriora probantur.* Extrema stomachi in carmine probantur, non exteriora.

De saporibus. Caput LIII.

Hi fervore vigent tres: salsus, amarus, acutus.
Alget acetosus, sic stipans, ponticus atque.
Unctus et insipidus, dulcis dant temperamentum.

De vippa. Caput LIV.

Bis duo vippa facit, mundat dantes, dat acutum
Visum, quod minus est, implet, minuit, quod abundat.

De diaeta. Caput LV.

Omnibus assuetam jubeo servare diaetam:
Approbo sic esse, ni sit mutare necesse:
Est Ypocras testis, quoniam sequitur mala pestis.
Fortior est meta medicinae certa diaeta,
Quam si non curas, fatue regis et male curas.

De administratione diaetae. Caput LVI.

Quale, quid et quando, quantum, quoties, vbi, dando
Ista notare cibo debet medicus dictando.

De

160. *ponticus*, Avicenna teste a stiptico in eo diversus, quod hic nihil contrahat linguae, praeter superficiem extimam, ponticus vero et extimam superficiem linguae exasperet, et interiora ejus contrahat.

162. *vippa*, a syllabis vocum: *vinum* et *panis*, primis, panis vino intinctus. *Hermolaus Barbarus* c. 95. lib. V. coroll. in Diosc. haec de ea scribit: *Erat veteribus jentaculum, buccea ex vino, quod genus barbari a vino et pane vippam vocant.*

De caule. Caput LVII.

Jus caulis solvit, ejus substantia stringit
Utraque quando datur, venter laxare paratur.

De malva. Caput LVIII.

Dixerunt malvam veteres, quia molliat alvum.
Malvae radices rasae dedere feces:
Vulvae moverunt, et fluxum saepe dederunt.

De mentha. Caput LIX.

Mentitur mentha, si sit depellere lenta
Ventris lumbricos stomachi vermesque nocivos.

De salvia. Caput LX.

Cur moriatur homo, cui salvia crescit in horto?
Contra vim mortis non est medicamen in hortis.
Salvia confortat nervos manuumque tremorem
Tollit, et ejus ope febris acuta fugit.
Salvia; castoreum, lavendula, primula veris,
Nasturt. athanasa haec sanant paralytica membra.
Salvia salvatrix, naturae conciliatrix.

De ruta. Caput LXI.

Nobilis est ruta, quia lumina reddit acuta
Auxilio rutae vir quippe videbis acute.
Ruta viris coitum minuit, mulieribus auget.

Ru-

71. *Jus caulis*, brassicae capitatae.

183. *Nasturt.* Ita legendum ob versum:
Athanasa, secundum Arnaldi expositionem est tanacetum officinarum.

Ruta facit caſtum, dat lumen et ingerit aſtum.
Cocta facit ruta de pulicibus loca tuta.

De cepis. Caput LXII.

De cepis medici non conſentire videntur.
Cholericis non eſſe bonas dicit Galienus,
Phlegmaticis vero multum docet eſſe ſalubres
Praeſertim ſtomacho: pulchrumque creare colorem
Contritis cepis loca denudata capillis
Saepe fricans, poteris capitis reparare decorem.

De ſinapi. Caput LXIII.

Eſt modicum granum, ſiccum calidumque ſinapi,
Dat lacrymas, purgatque caput, tollitque venenum.

De viola. Caput LXIV.

Crapula diſcutitur, capitis dolor atque gravedo,
Purpuream violam dicunt curare caducos.

De vrtica. Caput LXV.

Aegris dat ſomnum: vomitum quoque tollit ad vſum,
Compeſcit tuſſim veterem, colicisque medetur,
Pellit pulmonis frigus ventrisque tumorem,
Omnibus et morbis ſubvenit articulorum.

De hyſopo. Caput LXVI.

Hyſopus herba eſt purgans a pectore phlegma:
Ad pulmonis opus cum melle coquatur hyſopus:
Vultibus eximium fertur reparare colorem:

De cerefolio. Caput LXVII.

Adpoſitum cancris tritum cum melle medetur.
Cum vino potum poterit ſedare dolorem.
Saepe ſolet vomitum ventremque tenere ſolutum.

De enula campana. Caput LXVIII.

Enula campana reddit praecordia ſana.
Cum ſucco rutae ſi ſuccus ſumitur hujus,
Affirmant ruptis nil eſſe ſalubrius iſtis.

De pulegio. Caput LXIX.

Cum vino choleram nigram potata repellit:
Adpoſitam viridem dicunt ſedare podagram.

De naſturtio. Caput LXX.

Illius ſuccus crines retinere fluentes
Allitus aſſeritur, dentisque curare dolorem.
Et ſquamas ſuccus ſanat cum melle perunctus.

De chelidonia. Caput LXXI.

Coecatis pullis hac lumina mater hirundo
Plinius vt ſcribit, quamvis ſint eruta, reddit.

De ſalice. Caput LXXII.

Auribus infuſus ſuccus vermes necat ejus.
Cortex verrucas in aceto cocta reſolvit
Pomorum ſuccus, flos, partus deſtruit, ejus.

De

De croco. Caput LXXIII.

Confortare crocus dicatur laetificando,
Membraque defecta confortat hepar reparando.

De porro. Caput LXXIV.

Reddit foecundas manſum perſaepe puellas
Iſto ſtillantem poteris retinere cruorem.

De pipere. Caput LXXV.

Quod piper eſt nigrum, non eſt diſſolvere pigrum,
Phlegmata purgabit digeſtivamque juvabit.
Leucopiper ſtomacho prodeſt, tuſſisque dolori
Utile, praeveniet motum febrisque rigorem.

De gravitate auditus. Caput LXXVI.

Et mox poſt eſcam dormire nimisque moveri,
Iſta gravare ſolent auditus, ebrietasque.

De tinnitu aurium. Caput LXXVII.

Motus, longa fames, vomitus, percuſſio, caſus,
Ebrietas, frigus, tinnitum cauſat in aure.

De nocumentis viſus. Caput LXXVIII.

Balnea, vina, Venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porri cum cepis, lens, fletus, faba, ſinapi,

222. *Pomorum*, caet. Senſus eſt, florem ſalicis et ſuccum pomorum ſalicis partim obeſſe.

Sol, coitus, ignis labor, ictus, acumina, pulvis,
Ista nocent oculis: sed vigilare magis.

De confortantibus visum. Caput LXXIX.

Foeniculus, verbena, rosa, chelidonia, ruta,
Ex istis fit aqua, quae lumina reddit acuta.

Contra dolorem dentium. Caput LXXX.

Sic dentes serva: porrorum collige grana,
Ne careas jure, cum iusquiamo simul vre;
Sicque per embotum fumum cape dente remotum.

De raucedine vocis. Caput LXXXI.

Nux, oleum, frigus capitis, anguillaque, potus,
Ac pomum crudum faciunt hominem fore raucum.

Contra rheuma. Caput LXXXII.

Jejuna, vigila, caleas dape, valde labora
Inspira calidum, modicum bibe, comprime flatum
Haec bene tu serva, si vis depellere rheuma.

Si

242. *iusquiamo*, hyoscyamo. *Ne careas jure*, rhythmi causa appositum est: vult enim carmen, vt fumus ex porrorum et hyoscyami granis combustis per embotum ad dentem feratur.

Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catarrhus:
Ad fauces branchus, ad nares eſto coryza.

Contra fiſtulam. Caput LXXXIII.

Auripigmentum, ſulphur, miſcere memento,
His decet apponi calcem: commiſce ſaponi.
Quatuor haec miſce: commiſtis quatuor iſtis
Fiſtula curatur, quater ex his ſi repleatur.

De numero oſſium, dentium et venarum in homine. Caput LXXXIV.

Oſſibus ex denis bis centeniſque novenis
Conſtat homo: denis bis dentibus et duodenis:
Ex tricentenis decies ſex quinqueque venis.

De quatuor humoribus corporis. Caput LXXXV.

Quatuor humores in humano corpore conſtant:
Sanguis cum cholera, phlegma, melancholia.
Terra melanch. aqua phleg. aer ſanguis, choler. ignis

De ſanguineis. Caput LXXXVI.

Natura pingues iſti ſunt atque jocantes,
Semper rumores cupiunt audire frequentes

Hos

260. *Terra.* More ſuo, rhythmi metrique cauſa, verba truncavit verſificator carminis. Principem ſinguli humoris partem conſtitutivam enarrat.

Hos Venus et Bacchus delectant, fercula, riſus,
Et facit hos hilares et dulcia verba loquentes.
Omnibus hi ſtudiis habiles ſunt et magis apti:
Qualibet ex cauſa nec hos leviter movet ira.
Largus, amans, hilaris, ridens, rubeique coloris,
Cantans, carnoſus, ſatis audax atque benignus.

De cholericis. Caput LXXXVII.

Eſt et humor cholerae, qui competit impetuoſis,
Hoc genus eſt hominum cupiens praecellere cunctos:
Hi leviter diſcunt, multum comedunt, cito creſcunt.
Inde magnanimi ſunt, largi, ſumma petentes
Hirſutus, fallax, iraſcens, prodigus, audax,
Aſtutus, gracilis, ſiccus croceique coloris.

De phlegmaticis. Caput LXXXVIII.

Phlegma vires modicas tribuit latosque brevesque,
Phlegma facit pingues: ſanguis reddit mediocres.
Otia non ſtudio tradunt, ſed corpora ſomno:
Senſus hebes, tardus motus, pigritia, ſomnus.
Hic ſomnolentus, pigris in ſputamine multus,
Eſt huic ſenſus hebes, pinguis, facie color albus.

De

De melancholis. Caput LXXXIX.

Restat adhuc tristis cholerae substantia nigrae,
Quae reddit pravos, pertristes, pauca loquentes.
Hi vigilant studiis, nec mens est dedita somno:
Servant propositum: sibi nil reputant fore tutum.
Invidus et tristis, cupidus, dextraeque tenacis,
Non expers fraudis, timidus, luteique coloris.

De coloribus et sanguinis redundantis indiciis.
Caput XC.

Hi sunt humores, qui praestant cuique colores
Omnibus in rebus ex phlegmate fit color albus.
Sanguine fit rubeus: cholera rubea quoque rufus.
Si peccet sanguis, facies rubet, extat ocellus,
Inflantur genae, corpus nimiumque gravatur.
Est pulsusque frequens, plenus, mollis, dolor ingens,
Maxime fit frondis, et constipatio ventris,
Siccaque lingua, sitis, et somnia plena rubore:
Dulcor adest sputi, sunt acria dulcia quaeque.

De phlebotomia, et primo de aetate ſecandae venae. Caput XCI.

Denus ſeptenus vix phlebotomum petit annus.
Spiritus vberior exit per phlebotomiam:
Spiritus ex potu vini mox multiplicantur,
Humorumque cibo damnum lente reparatur.
Lumina clarificat, ſincerat, phlebotomia,
Mentes et cerebrum: calidas facit eſſe medullas.
Viſcera purgabit, ſtomachum ventremque coercet,
Puros dat ſenſus, dat ſomnia, taedia tollit,
Auditus, vocem, vires producit et auget.

De menſibus, quibus phlebotomia convenit, ſive nocet. Caput XCII.

Tres inſunt iſtis, Majus, September, Aprilis.
Et ſunt lunares, ſunt velut hydra dies.
Prima dies primi, poſtremaque poſteriorum,
Nec ſanguis minui, nec carnibus anſeris vti.
In ſene vel juvene, ſi venae ſanguine plenae,
Omni menſe bene confert inciſio venae
Hi ſunt tres menſes: Majus, September, Aprilis
In quibus eminuas, vt longo tempore vivas.

De impedimentis phlebotomiae.
Caput XCIII.

Frigida natura, frigens regio, dolor ingens
Poſt lavacrum, coitum, minor aetas atque ſenilis:
Morbus prolixus, repletio potus et eſcae:
Si fragilis vel ſubtilis ſenſus ſtomachi ſit.
Et faſtiditi tibi non ſunt phlebotomandi.

Quae obſervanda ſint circa phlebotomiam.
Caput XCIV.

Quid debes facere, quando vis phlebotomari,
Vel quando minuis, fueris vel quando minutus?
Unctio, ſive potus, lavacrum, vel faſcia, motus,
Debent non fragili tibi ſingula mente teneri.

De effectibus quibusdam phlebotomiae.
Cap. XCV.

Exhilarat triſtes, iratos placat, amantes
Ne ſint amentes, phlebotomia facit.

De ſciſſurae quantitate in venaeſectione.
Caput XCVI.

Fac plagam largam mediocriter, vt cito fumus
Exeat vberius, liberiusque cruor.

Quae conſideranda circa venaeſectionem.

Caput XCVII.

Sanguine ſubtracto ſex horis eſt vigilandum,
Ne ſomni fumus laedat ſenſibile corpus.
Ne nervum laedas; non ſit tibi plaga profunda.
Sanguine purgatus non carpas protinus eſcas.

Quae vitanda ſunt poſt phlebotomiam.

Caput XCVIII.

Omnia de lacte vitabis rite minute,
Et vitet potum phlebotomatus homo.
Frigida vitabis, quia ſunt inimica minutis
Interdictus erit minutis nubilus aer:
Spiritus exultat minutis luce per auras
Omnibus apta quies, aſt motus valde nocivus.

Quibus morbis et aetatibus conveniat venaeſectio et quantum ſanguinis quoque tempore detrahendum. Caput XCIX.

Principio minuas in acutis, perperacutis:
Aetatis mediae multum de ſanguine tolle:
Sed puer atque ſenex tollet vterque parum.
Ver tollet duplum, reliquum tempus tibi ſimplum.

Quae

Quae membra, quoque tempore venaeſectione evacuanda. Caput C.

Aeſtas, ver, dextras, autumnus hyemsque ſiniſtras.
Quatuor haec membra: cephe, cor, pes, hepar vacuanda
Ver cor, hepar aeſtas, ordo ſequens reliquas.

De commodis ex ſectione ſalvatellae. Caput. CI.

Dat ſalvatella tibi plurima dona minuta.
Purgat hepar, ſplenem, pectus, praecordia, vocem:
Innaturalem tollit de corde dolorem.

De capitis doloribus. Caput CII.

Si dolor eſt capitis ex potu, lympha bibatur;
Ex potu nimio nam febris acuta creatur.
Si vertex capitis, vel frons aeſtu tribulentur,
Tempora fronsque ſimul moderate ſaepe fricentur.
Morella cocta nec non calidaque laventur.

De quatuor temporibus anni. Caput CIII.

Temporis aeſtivi jejunia corpora ſiccant

 Quo-

350. *Morella*, ſolanum hortenſe.

Quolibet in menſe confert vomitus, quoque purgat
Humores nocuos, ſtomachi lavat ambitus omnes.
Ver, autumnus, hyems, aeſtas dominantur in anno.
Tempore vernali calidus ſit aer humidusque,
Et nullum tempus melius ſit phlebotomiae.
Uſus tunc homini Veneris confert moderatus
Corporis et motus, ventrisque ſolutio, ſudor,
Balnea: purgentur tunc corpora medicinis.
Aeſtas more calet, ſiccat, noſcatur in illa,
Tunc quoque praecipue choleram rubeam dominari.
Humida, frigida fercula dentur, ſit Venus extra:
Balnea non proſunt: ſint rarae phlebotomiae:
Utilis eſt requies, ſit cum moderamine potus.

Explicit regimen ſanitatis Salerni.